QUAESTIONES DIONEAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

ERNST THOMAS

WALDENBURGENSIS.

LIPSIAE

DR. SEELE & CO.

MCMIX.

RETTULERUNT AD ORDINIS PHILOLOGOS DE HAC DISSERTATIONE

BETHE **R. HEINZE**

LIPSIAE D. XXI M. JUL. A. MCMVIII.

PROCANCELLARIO

STIEDA.

PATRI OPTIMO.

Dionem Cynicorum sectatorem esse E. Weber ita evicit [1], ut de hac re iam nemo dubitet. Ambigitur autem et num Dio praeter Cynicos alios quoque fontes adierit et utrum magis veteres Cynicos secutus sit an recentiores. His potissimum quaestionibus viri docti operam navaverunt maxime postquam Johannes de Arnim nova editione parata in Dionis vitam atque opera accuratius inquisivit [2]. Atque illam quidem praeter alios aperuit W. Schmid [3] suspicatus Dionem Stoicorum scrinia non raro diripuisse, quam opinionem Binder [4] certis argumentis fulsit. Similiter etiam Joel [5] iudicavit, etsi Antistheni multo plura tribuere videtur. Alteram quaestionem Hahn tractavit ita, ut Dionis orationes, quae ad Diogenem spectant, ex Cynicis recentioribus profluxisse erueret [6]. Apparuit igitur Dionem minime Cynismum tantummodo veterem exhibere. Sane negandum non est eum Antisthenis scripta et novisse et usurpasse, veluti in or. XIII. Sed non unicus erat fons.

Ex his virorum doctorum, quorum alii suo loco laudandi erunt, observationibus profecti nobis inquirendum proposuimus, utrum Dio in orationibus *περὶ βασιλείας*, quae et praeter multas alias excellunt neque adhuc sub uno conspectu perlustratae sunt, veteres Cynicos expilaverit an ne hoc quidem loco fontes recentiores praetermiserit. Quod qua via explorandum fuerit, ex ipso proposito expeditur: sc. ea quae Antistheni convenire

---

[1] De Dione Chrysostomo Cynicorum sectatore, Leipziger Studien X (1888) 79 sq. [2] Dionis opera edidit 1898, 2 vol.; Leben und Werke des Dio von Prusa 1898 (de fontibus fere nihil affert). [3] Burs. Jahresber. 108 (1901) 223. PWR s. v. Dio 865. [4] Dio Chrysostomus und Posidonius, Tübingen 1905. [5] Der echte und der xenophontische Sokrates II 1 (1901) 391 sq. [6] De Dionis Chrysostomi orationibus quae inscribuntur Diogenes, Göttingen 1896.

visa sunt, secernenda erant ab eis, in quibus vestigia scriptorum recentiorum patuerunt. Antisthenis autem proprietates non in singulis sententiis consistere magis magisque elucebat, ita ut tota eius de regno disciplina restitui deberet, cuius et fundamenta et forma cognosceretur. Quam fere solam Antistheni propriam fuisse ex historia litterarum *περὶ βασιλείας* facile eruebatur. Itaque ab Antisthene et restituendo et cum Dione comparando incipiendum est.

Caput I.

De Antisthenis disciplina *περὶ βασιλείας*.

Ad eam restituendam duo subsidia suppeditant: Antisthenis scriptorum fragmenta et principalia Cynismi fundamenta.

§ 1. De eius scriptis.

Antisthenes de regno disseruit in dialogis inscriptis *Κῦρος ἢ περὶ βασιλείας* (D. L. VI, 16) et *Ἀρχέλαος ἢ περὶ βασιλείας* (ib. 18). Alterius quoque Cyri, qui in tomo quarto enumeratur (ib. 16), proprium propositum fuisse de regno disciplinam plerique suspicati sunt, sed nobis non persuaserunt. Liceat initium facere ex his duobus Cyris, quos genuinos fuisse constat (Natorp in PWR s. v. Antisth. 2542), eosque multis opinionibus quae adhuc de sententiarum conexu prolatae sunt, omissis ex fragmentis inter se distinguere fere hoc modo.

ὅτι ὁ πόνος ἀγαθόν, συνέστησε διὰ τοῦ μεγάλου Ἡρακλέους καὶ τοῦ Κύρου τὸ μὲν ἀπὸ τῶν Ἑλλήνων τὸ δὲ ἀπὸ τῶν βαρβάρων ἑλκύσας (D. L. VI, 2): ergo laborem bonum esse ostendit exemplis ex Graecis et Persis repetitis, pro quibus ipsum Herculem

et Cyrum adhibitos esse et ex eis, quae Duemmler (kl. Schr. I 140 sq.) de Hercule explanavit et inde consentaneum est, quod Antisthenes Persas in universum improbavit (Ath. V 220 C), ita ut ei praeter Cyrum alia non offerrent (contra Kaibel Herm. 25 [1890] 588). Neque dubium est, quin de Cyro maiore cogitandum sit, quoniam eius laudes tum etiam in Graecorum litteris politicis tritae erant (Her. III 75 et 89; Plat. ep. 311 A). Sed quaeritur quid *πόνος* significet. Keil (Herm. 23 [1888] 356, 2) cum *πόνος* eodem sensu acciperet atque *ἐπιμέλεια*, Cyrum boni principis partes egisse conjecit. Sed non animadvertit id quod Dionem non fugit dicentem boni regis genium et regi et subditis utilem esse (III, 5); sc. aperte eius tantum laboris notionem ante oculos habuit, qui non propria (*αὐτὸς καθ' αὑτὸν κινδυνεύειν* Isocr. X 31) sed subditorum causa suscipitur. Neglexit igitur notionis sensum moralem, cum Cynici saepissime *πόνον* item intellegerent atque *ἀρετήν*. Id autem ad Cyrum quadrat: nam cum in Hercule eas quaestiones, quae ad ethicam universalem spectant, institutas esse Duemmler l. c. 149 eruerit, in Cyro autem Antisthenes idem statuerit atque in Hercule (D. L. l. c.): etiam in eo ethicae quaestiones tractatae esse videntur. Adde quod ipse conexus in quo fragmentum apud Diogenem traditum est, docet *πόνον* ethice interpretandum esse; antecedunt: *ἤκουε Σωκράτους, παρ' οὗ καὶ τὸ καρτερικὸν λαβὼν καὶ τὸ ἀπαθὲς ζηλώσας κατῆρξε πρῶτος τοῦ Κυνισμοῦ· καὶ ὅτι ὁ πόνος* sq.: ubi *πόνος* refertur ad *καρτερίαν* principalem illam Cynicorum virtutem. Itaque Cyri labores non ad subditorum salutis providentiam sed ad ipsius virtutem pertinent. Eiusmodi autem *πόνοι* constant in eo, quod, sicuti Hercules, per aerumnas et molestias evasit ad lucem et beatitudinem; *τῶν γὰρ ὄντων ἀγαθῶν καὶ καλῶν οὐδὲν ἄνευ πόνου καὶ ἐπιμελείας θεοὶ διδόασιν ἀνθρώποις* (Xen. mem. II 1, 28): idcirco *ὁ πόνος ἀγαθόν*. Nam Cyrus puer expositus est et a cane nutritus (Dio [1]) LXIV, 23), deinde sub Medorum imperio quasi servitute tenebatur circumdatus

---

[1]) Si oratio genuina est: Arnim 160.

insidiis et Astyagis *λυχνοποιοῦ* munere fungens (Dio XV, 22, ubi Cynicorum vestigia aperta sunt: Joel II, 1, 400). At his miseriis superatis imperium adeptus est non hereditate, sed propriis contentionibus. Sic labores cum ei regnum comparavissent, *ἀγαθοὶ* erant.

Isocrates, qui saepius in Antisthene (ut hic in illo) offendit, ad hunc dialogum allusisse videtur in Euagora, cum affirmat Euagoram multo maiores labores subiisse quam Cyrum: § 35 *τῶν μὲν οὖν τὰς πατρικὰς βασιλείας παραλαβόντων τίς οὐκ ἂν τοὺς Εὐαγόρου κινδύνους προκρίνειεν*; (ubi *κίνδυνοι* tertium ut ita dicam comparationis sunt; Cyrus non patris, sed avi regnum excepit). Cyrus ne probe quidem aut honeste omnia perfecit (§ 38), ita ut Euagoras vel virtutis gloria praestet: profecto Isocratem qui Persas minime vituperat (III, 23), perstringit Cyrum, Antisthenem ante oculos habuisse, qui Cyro laudato Persas exprobravit (Ath. V 220 c), non est veri dissimile. Inde concludi potest Cyri propositum fuisse illud *λαμβάνειν τὴν βασιλείαν* (Isocr. IX 39); *Κῦρον τὸν Μήδων μὲν ἀφελόμενον τὴν ἀρχήν, Πέρσαις δὲ κτησάμενον καὶ πλεῖστοι καὶ μάλιστα θαυμάζουσι* (ib. 37): celebrabantur eius labores fortiter gesti, sicuti Herculis maxime fortitudo laudibus elata est (Is. V 109, qui Antisthenem increpat: Keil l. c.). Accedit, quod eodem Dio XV, 22 spectat, qui hoc loco ad Cynicos redit. Itaque conjiciendum est Cyrum in eo dialogo, quem Diogenes intellegit, non tam perfecti principis partes egisse neque quomodo imperium administravisset, immo potius paravisset enarratum esse. Euripides quidem Archelaum prorsus similibus coloribus depinxit atque Antisthenes Cyrum adumbrasse videtur; ne illum quidem exsilium insidiaeque infregerunt, quibus superatis urbem et regnum constituit (Hyg. fab. 219); in eo Euripides maxime id ostendit, quam *ἀγαθὸν ὁ πόνος ἐστίν* (fr. 236—8 N. ²): ut etiam hinc pateat Joelium nimis multa ad Antisthenem revocasse sophistarum disciplina politica neglecta, ex qua et Euripides pendet (Duemmler kl. Schr. I, 157 sq.), qui sane ex Cynicis non hausit, et Antisthenes, cuius de leonibus fabula sophisticam indolem aperte redolet (Ar. pol. III, 13 = 1284

a 15)[1]. Itaque Cyri exemplo fundamentum Cynicae philosophiae illustratur constans in eo, quod voluptatem nihil, omne laborem esse docent, sine quo nihil efficitur quod appetitu dignum sit. Sic Hercules (apud Omphalen: Cleanthes fr. 514 A.)[2]) et Achilles (apud Chironem: Gnom. Vat. in Wiener Studien IX [1887] 183) servientes egregiam institutionem consecuti sunt. Sic Cyrus labores non fugit, sed ex angustiis enisus est ad summam potentiam.

Inde sequitur eum Cyrum, ad quem Laertius provocavit, non pertinuisse ad peculiarem de regno disciplinam, sed ad ethicam universalem. Talem autem scopum is qui in tomo quarto commemoratur dialogus habuisse videtur; nam simpliciter inscribitur *Κῦρος* non appositis *ἢ περὶ βασιλείας*, ita ut pro scripto morali haberi debeat. De eo Diogenem cogitasse inde quoque colligitur, quod Hercules et Cyrus dialogi in tomo quarto item una enumerantur atque in § 2, *ὁ δὲ μέγας Ἡρακλῆς* (§ 2) vix alius est atque *ὁ μείζων Ἡρακλῆς* (§ 16).

Contra in altero Cyro de regno actum esse ipso titulo *Κῦρος ἢ περὶ βασιλείας* indicatur. Ad eum quadrare verba Epicteti diss. IV, 6, 20 *τί οὖν λέγει Ἀντισθένης; οὐδέποτ᾽ ἤκουσας; Βασιλικόν, ὦ Κῦρε, πράττειν μὲν εὖ, κακῶς δ᾽ἀκούειν* his argumentis expeditur: in Cyro priore Cyrus perfecti hominis partes egit et cuius potius suadere quam discere sit. Herculem quoque praecepta dedisse constat ex Plut. mor. 536 B *ἣν ὁ Ἀντισθένειος Ἡρακλῆς παρῄνει τοῖς παισὶ διακελευόμενος*. Paraenetice autem fragmentum ab Epicteto servatum accipiendum esse sequitur ex D. L. VI 7 *παρεκελεύετό τε κακῶς ἀκούοντας καρτερεῖν μᾶλλον ἢ εἰ λίθοις τις βάλλοιτο*. Itaque alteri Cyro, cum duo tantum Cyri exstiterint, inseri debet; nam personae dialogi cum certis lineamentis circumscriptae sint, semper ean-

---

1) Laboris laudatores etiam sophistas fuisse ex Euripidis exemplo verisimile est. Non solum Antisthenes eum praedicavit: cf. Democr. fr. 240.

2) Hic locus ad Antisthenis Herculem restituendum nondum adscitus est; sed ad eum recedere videtur; ad *ὅτι καὶ τοὺς ἰσχυροτάτους ὑποτάττειν δεῖ ἑαυτοὺς τῷ λόγῳ καὶ τὰ ὑπὸ τούτου προσταττόμενα ποιεῖν* cf. D. L. VI, 18 *περὶ φρονήσεως ἢ ἰσχύος*. -- *ἐμφαινόντων τῶν παλαιῶν*; sc. Antisth.

dem speciem prae se ferunt neque fieri potest, ut is, qui alios docet, ipse admoneatur. Propter temporis rationem etiam ea, quae Ath. V 220 c tradidit, ad alterum Cyrum referenda sunt: *Ἀντισθένης δ' ἐν θατέρῳ τῶν Κύρων κακολογῶν Ἀλκιβιάδην καὶ παράνομον εἶναι λέγει καὶ εἰς γυναῖκας καὶ εἰς τὴν ἄλλην δίαιταν· συνεῖναι γάρ φησιν αὐτὸν καὶ μητρὶ καὶ θυγατρὶ καὶ ἀδελφῇ ὡς Πέρσας.* Nam in priore dialogo Cyrum maiorem ipsum quoque collocutum esse inde verisimile est, quod in titulo appellatur. Unde patet in dialogo *Κῦρος ἢ περὶ βασιλείας* Cyrum minorem introductum esse et quidem ita, ut ipse colloquii particeps esset. Ergo inter duos Cyros id discrimen intercedit, quod in priore Cyrus maior laudatur, in altero Cyrus minor admonetur, deinde quod hic pertinet ad disciplinam *περὶ βασιλείας*, ille ad ethicam.

De alterius Cyri sententiarum conexu nihil certi constat. Ne hoc quidem loco praecepta moralia defuisse ex fragmentis perspicitur: nam Alcibiades is est, qui voluptatem, non laborem et virtutem consectatur; contra Cyrus ut labori studeat impellitur. *κακῶς ἀκούειν* est *ἀδοξία*, i. e *πόνος* (D. L. VI, 11) [1]. Sane ex hoc fragmento aliquod placitum ex Antisthenis de regno disciplina decerptum cognoscitur ex ethica repetitum: regis est virtutem sequi (*εὖ πράττειν*, non *ποιεῖν*) neque gloriam affectare (Isocr. IX, 3).

Alter dialogus, in quo de regno disseruit, est *Ἀρχέλαος ἢ περὶ βασιλείας*. Eius mentionem facit Ath. V, 220 D: *Γοργίου τοῦ ῥήτορος καταδρομὴν περιέχει.* Utrum his verbis argumentum dialogi an singula observatio contineatur, non liquet. Id quoque in suspenso relinquitur, utrum Antisthenes Gorgiae, cuius sectae ipse antea sodalis erat, doctrinam politicam castigaverit, cuius quasi exemplar Archelaus suum tantummodo commodum secutus (Plat. Gorg. 471 B C) erat, Dionea illa quaestione instituta *ἢ σὺ οἴει τοὺς σοφιστὰς εἶναι τοὺς διδάσκοντας βασιλεύειν*; (IV, 28), an in universum in sophistarum

---

[1]) Etiam in eo fragmento, quod Müller (de Antisthenis vita et scriptis 1860) p. 44 optimo iure (Hirzel, der Dialog I, 122, 2) ex Cyro profluxisse censet, patet locus moralis.

philosophiam invectus sit, a qua ne ipsa quidem Archelaus ille *πολλὰ εἰδὼς καὶ πολλοῖς συγγεγονὼς τῶν σοφιστῶν* (Dio XIII, 30) discessit, ita ut per se utrumque bene fieri potuerit. Itaque de dialogi sententiarum conexu quicquam certi enucleari nequit. Eius vestigia in Dionis or. XIII inveniri (qua eadem Gomperz, griechische Denker II, 126 ad Cyrum restituendum usus est) Hirzel I, 124, 1 recte negavit.

περὶ τοῦ ἄρχειν disputavit in dialogo nomine ***Μενέξενος*** insignito (D. L. VI, 18), qui prorsus obscurus atque ignotus est. Denique de regnandi arte in commentationibus Homericis (D. L. VI, 17/8) disseruisse videtur. Quantopere interpretationem Homericam in deliciis habuerit ratus Homerum luculentissima ut vitiorum sic virtutum exempla praebere, Duemmler kl. Schr. I, 24 sq. et E. Weber 224 sq. exposuerunt. Apud Xenophontem ex Nicerato quaerit, num ex Homero ars regia disci possit (conv. IV, 6, cf. Duemmler l. c. I, 36/7). Profecto fundamenta Cynicae de regno disciplinae insunt in *β* 47, *Γ* 109, B 205 . . .

§ 2. De principiis Cynismi.

Apparet Antisthenis de regno disciplinam ex eius scriptis cognosci non posse, quorum praeter titulos fere nihil traditum est. Ei tantum elucebit, qui ad fundamenta Cynicae philosophiae progressus erit. Nam ex eis cum ipsae sententiae tum earum forma quae dicitur interior in universum perspici potest. Sane de forma exteriore i. e. de litterarum genere dubitatio non relinquitur: Antisthenis Cyrus et Archelaus erant dialogi (Hirzel I, 122 sq.), quorum tamen scena et personae admodum inexploratae sunt. At si quis formam interiorem dispicere studet, debet inquirere quem ad finem quoque modo sententiae explicatae sint. Sane eaedem sub diverso conspectu enarrari possunt. Sic forma interior idem est atque ratio cogitandi et ex ipsa philosophiae indole ac vi originem ducit. De ea quae Antisthenis propria fuisse videtur, haec proferamus.

Antisthenis philosophia ad eos pertinet, qui pauperes sunt et corpore et animo. Eorum causa res novo modo dijudican-

das esse docebat, ut ipsi quoque beati essent: illis persuadebat veras divitias non exteriores esse, his non doctrina atque ingenio, sed virtute et vita ad beatitudinem perveniri. Res nomina sunt; idcirco ante omnia nomina inspicienda esse affirmat (E. Weber 138/9). Tales, quales vulgo intelliguntur, *δόξαι* sunt, pro quibus verae notiones statui debent. Hoc sensu Cynicorum placita principalia (E. Weber 98 sq.) *παραχαράττειν τὸ νόμισμα* et *γνῶθι σεαυτόν* accipienda sunt. Jam Socrates *τὰ ὀνόματα θηρεύει* (Plat. Gorg. 489 B sq.); siquidem virtus scientia est, manifestum esse debet, quid notiones significent. Eum Antisthenes, qui ipse *τὴν δόξαν* vehementer impugnat, subsecutus est dicens „*ἀρχὴ παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις*“ (Ep. diss. I, 17, 12; Zeller, Philosophie der Griechen II 1 [4.°] 301, 2)[1]. Propterea inquirit quid sit vera libertas, servitus, quas vulgus non recte comprehendit. Omnis eius philosophia moralis eum scopum habet, ut falsas de rebus et affectandis et evitandis opiniones tollat; idcirco *ἡ φρόνησις* ab eo plurimi aestimabatur. Quae cum ita sint, cur in disciplina *περὶ βασιλείας*, quae philosophiae moralis partem facit, aliam disserendi viam ceperit causa non agnoscitur. Sicuti interrogat quae sit vera potentia, vera libertas, vera fortitudo, item quid revera (*τῷ ὄντι*) regnum sit disceptare vult.

Monarchia maxime variis vocibus designabatur. Apud poetas tragicos[2]) et oratores atticos (schol. Thuc. I, 13) *τύραννος* occurrit etiam pro bono rege; pro malo principe *τύραννος* primum apud Alcaeum scriptum invenitur (Beloch griech. Gesch. I 313, 2). Contra Homerus Echetum *βασιλέα* appellat *δέον τύραννον εἰπεῖν* (Eust. ad σ, 84). Persarum reges[3]) sibi titulum *μέγας βασιλεύς* vindicabant, cum philosophis tyranni esse visi sint. Quis erat revera rex? Quis est dignus ut nomine sic

[1]) „Populumque falsis dedocet uti vocibus“ (Hor.) [2]) Heim, die Königsgestalten bei den griech. Tragikern, Erlangen 1904, p. 18 et 93 sq.
[3]) Rex Persarum exemplum erat, quod Persarum regnum est *ἄκρον τῆς μοναρχίας* (Plat. leg. 693 D). Graeci principes ante aetatem hellenisticam veriti sunt sese *βασιλεῖς* appellare; „*βασιλεὶς*“ in fabulis tantum erant. Comici Persas in summa felicitate viventes depingebant. Ut comici ad philosophos, sic hi ad illos alludunt.

re? *καὶ γὰρ μοναρχικὰς καὶ τυραννικὰς ἤδη τινὰς τεθεάμεθα πολιτείας, αἳ πλεῖστον διαφέρουσαι βασιλείας παραπλήσιον ἔχειν τι ταύτῃ δοκοῦσιν* (Polyb. VI, 3, 9).

Antisthenes igitur notionem *βασιλεύς* perspicere vult; propterea dialectice inquirit, sicuti Plato (pol. 258 B) *διαζητεῖ* non *ποῖος* sed *τίς ὁ πολιτικός*: more Socratis, cuius fidelissimus alumnus Antisthenes erat (Xen. mem. III 11, 17). Tum ex notionis interpretatione necessario profluunt singula quae ipsius rei propria sunt, quibus describitur, non definitur. In aetate posteriore plerique qualis bonus rex sit fuse enarrant. Eorum non intererat notionem definire. Haec non ignota sumitur; describunt ita, ut ea, quae describunt, ad eam declarandam minime referantur. Contra Antisthenes notionem *βασιλεύς* statuit *ὡς εὐθὺς ἁπάσας ταύτας δέον ἕπεσθαι τὰς δυνάμεις* (sc. subditorum curam, legum verecundiam . .) *τῇ τοῦ βασιλέως δυνάμει τε καὶ κλήσει* (Dio I 41). Cyrus siquidem rex erat, virtuti et curae subditorum mentem adjecit. *Πάντα γὰρ ἔνεστιν ἐν τῷ βασιλικῶς* (Plut. mor. 332 E) *οὐδὲ ἔστι βασιλεύειν κακῶς οὐ μᾶλλον ἢ κακῶς ἀγαθὸν εἶναι* (Dio IV, 24). Haec conclusionum necessitas quadrat ad Antisthenis dialecticam, cum negaverit licere enuntiare quicquam de subjecto nisi quod vel id ipsum comprehendit (Zeller II, 1 [4.°] 293). Veluti voce *ἄνθρωπος* non una exprimitur hominem bonum esse; idcirco non sinit *ἀγαθὸν λέγειν ἄνθρωπον* (Plat. soph. 251 B, quem Antisthenem perstringere recte conjecit Zeller l. c. adn. 1). Contra *βασιλεύς* ei significasse bonum principem modo videbimus; itaque ex notione ipsa necessario sequuntur boni regis mores ac virtutes singulae.

Siquidem notionem declarare studebat, fines, quibus constringitur, determinandi erant contrariis oppositis. Haec ratio apud sophistas in usu erat, qui studiis synonymicis operam navabant. Ea ad doctrinam politicam transferebant; nam et Protagoras politicas quaestiones tractavit in antilogicis (D. L. III, 37) et Hippias notiones *βασιλεύς* et *τύραννος* synonymice inter se distinxit (Suid. v. *τύραννος*). Antisthenes autem et sophistis multa debet veluti Prodico (Duemmler Acad. 158)

et ea aetate vixit, qua in omni genere politico duae partes inter se discernebantur (δημοκρατία ὀχλοκρατία . .). Quae distinctio nisa in ethica eadem ex sophistis vetustioribus profecta esse videtur, cum similis iam apud Herod. III 80 sq. occurrat.

Quae cum ita sint, contendere licet Antisthenis de regno disciplinae formam interiorem eam fuisse, ut verum sensum notionis βασιλεύς erueret. Neque vero dubium est, quomodo eum intellexerit: sc. βασιλεύς bonus princeps est. Tyranni mali principes sunt, quos et castigat et commiseratur (Xen. conv. IV 36). Tyrannorum odio sane omnes Socratici incensi sunt, quorum magistri animum tyranni non potuerunt infringere (Sen. ep. 28, 8).

Jam ex notione ipsa singula quae regi impendent officia colliguntur, quae quomodo Antisthenes destinaverit, tantum in universum, etsi non dubie concludi potest.

Antisthenes censet vulgum de rebus falsas cognitiones habere. Homines Dareum regem appellant. Itaque ut omnes ceteras sic hanc opinionem vulgarem recto talo stare eum negavisse certum est; in Cynicorum quidem secta Dareus semper pro tyranno ferebatur. Eum μέγαν βασιλέα appellant, quod plurimarum gentium imperium tenet [Dio III, 37]. Itaque Antisthene auctore regnum non in potentia positum est. Nam semper eam rationem secutus est, ut res ex virtute penderet, cum si quis exteriorem tantum partem respicit, saepe pares esse videantur; potentia autem exterior est. Profecto ex principiis Cynismi nullo modo dubitari potest, quin imperium in virtute niti censuerit. Huc spectat, quod sophistarum castigator exstitit ut philosophus vere Socraticus, sicuti ne Plato quidem sophistarum recentiorum disciplinam politicam in Gorgia et in libris de republica comprobavit, cui multa cum Antisthene communia esse Duemmler ostendit in Antisthenicis. Nam is quoque quem Thrasymachus et Polus circumscribunt dominus id agit, ut potentiam suam quam maxime propaget, ut validior premat inferiorem. Etiam hoc loco Antisthenes res diverso modo dijudicavit, ut Socrates eas quas sophistae adhibent notiones alieno sensu accepit (Plat. Gorg. 469 C).

Illius de hac re sententia fere sic adumbrari potest: ut verae divitiae non opes sunt, ita imperium non vis ac potentia est, sed consistit in virtute. Potentia *ὕβρις* est, virtus constringit; itaque regnum non solvit, sed officia impertit. Regnum labor est, tyrannis voluptas; idcirco rex se ipse coercere debet, id quod tyrannus nequit. Tum potestate et imperio dignus est, quod fortuna dedit, virtus aufert. Sed si quis sua sponte eis quae necessaria sunt sese subjecit, non servus est; nam libertas non debet confundi cum licentia. Sic virtus et *πόνος* est, quod cogit, et *ἐλευθερία*, quod non ab invitis exercetur. Rex et laboriosus et liber est, tyrannus et luxuriatur et tenetur servitute. Idcirco rex etiam beatus dicendus est: nam *ὁ πόνος ἀγαθόν*.

Itaque rex eis praeceptis obligatur, quae pertinent ad honestatem atque virtutem, cum Polus exemplum Archelai, quem Plato pro tyranno habet, producat, ut ad vitam beatam nihil interesse justene facias necne demonstret. Certe omnes Socratici civitatis fundamenta jecerunt in virtute. Idem fecit Antisthenes dicens: *τότε τὰς πόλεις ἀπόλλυσθαι, ὅταν μὴ δύνωνται τοὺς φαύλους ἀπὸ τῶν σπουδαίων διακρίνειν* (D. L. VI, 5).

Tyrannus quem sophistae illi recentiores celebrant, suum tantum commodum sectatur; ei licet *ἐν τῇ πόλει ὃ ἂν δοκῇ αὐτῷ ποιεῖν τοῦτο καὶ ἀποκτιννύντι καὶ ἐκβάλλοντι καὶ πάντα πράττοντι κατὰ τὴν αὐτοῦ δόξαν* (Plat. Gorg. 469 C) legesque dat proprio usu observato (resp. 338 D sq.). Sed rex Socraticus tyranno contrarius est, qui appellatur *λύκος ἐξ ἀνθρώπου γεγονώς* (ib. 566 A). Itaque subditorum, quos conservare vult, saluti consulit. Talis autem quae ad omnium hominum beatitudinem et fortunam spectat disciplina politica tum divulgata erat. Unde originem duxerit Poehlmann docet: sc. ex eo qui tum erat statu societatis civilis. Nam plurimi in humilissimam paupertatem dejecti erant; ubique desiderabatur *γῆς ἀναδασμός, εἰρήνη, ὁμόνοια*; idcirco Plato aequata bona postulavit adversante Aristotele (pol. V 10 = 1310 b 40). Pauperes autem et aerumnosos homines Antisthenes respexit, ex quorum loco ipse natus erat. Eos consolabatur viam monstrans, qua ad beati-

tudinem pervenirent, sc. viam rationis et abstinentiae. Itaque praeterquam quod Socraticus est neque ex conexu philosophiae politicae aequalis solvi debet, quam tum omnes profitebantur et quidem optimus quisque, quin regis officia etiam ad subditorum providentiam revocaverit, non dubium est ex ipsius eius philosophiae indole ac vi. Hercules ille quidem labores imperatos suscepit etiam ut hominibus salutem pararet. Adde quod et *φιλανθρωπία* est notio peculiariter Cynica (Epict. diss. IV 8, 32) neque Antisthenem regem pastorem appellavisse abhorret a verisimilitudine[1]). Jam Plato contra eos qui arbitrantur *πολιτικῆς εἶναι πλουσίους τοὺς πολίτας παρέχειν καὶ ἐλευθέρους καὶ ἀστασιάστους*, contendit: *ἔδει δὲ σοφοὺς ποιεῖν καὶ ἐπιστήμης μεταδιδόναι* (Euthyd. 292 B) et in Theaet. 174 D in eis offendit, qui (cum Homero) regem pro pastore habent. Idem occurrit in Politico, ubi eum Antisthenem, cum quo saepius controversias gessit (D. L. VI, 3 et 16), ante oculos habuisse iam alii conjecerunt (Zeller l. c.).

Haec quae et ad ipsius regis virtutem et ad salutem subditorum quadrant praecepta rex novisse debet. Itaque priusquam regnet, instituendus est, nam regnum est ars et scientia. Quoniam ea ipsa a philosophis traditur, rex philosophiae, quae illa praecepta declaravit, studet et ipse philosophus est. Hoc modo sese ad regnandum praeparat, ut imperio dignus sit. Sane omnibus politicis peculiari eruditione opus est (Gomperz, griech. Denker II, 126); imperatores *μηδὲν μαθόντες* castigantur (D. L. VI, 8); *ὁ πολιτικὸς αὐτοῦ διάλογος ἁπάντων καταδρομὴν περιέχει τῶν Ἀθήνησιν δημαγωγῶν* (Ath. V, 220 D): sc. quod non eruditi sunt. Antisthenes enim institutioni plurimum tribuit (cf. Stob. exc. e ms. Flor. 13, 33 = IV 193 M.), quam maioris momenti ipsa natura esse iudicavit, velati Alcibiadis *φύσις* nequaquam displicet, tamen *ἀπαίδευτος* est (Ath. XII, 534 C). Profecto totus Cynismus sub specie disciplinae pae-

---

[1]) Zeller II 1 (4.º) 325, 5; Joel I 388; Kaerst, Studien zur Entwicklung und theoretischen Begründung der Monarchie im Altertum 1898 p. 27, 2.

dagogicae respici et potest et debet. Ceterum Antisthenes hac in re cum Socraticis consentit. Nam Plato politicos reprehendit propter *τὴν ἐσχάτην ἄνοιαν* (Theaet. 176 E sq.; Alc. 119 B); dicit: Alcibiades *μέλλει εἰς ἐκκλησίαν ἐλθὼν συμβουλεύσειν Ἀθηναίοις περὶ ὧν οὐδὲν οἶδεν* (113 B); regnum ei *τέχνη* est (pol. 300 E); ii, qui Platonicam rempublicam regunt, certa institutione uti debent. Deinde Xenophon conscripsit *Κύρου παιδείαν* et ad Socratem sperantem virtutem doceri posse recentiores haud iniuria eorum opinionem rettulerunt, quibus placuit regem esse qui regnare scit (cf. Socr. ep. 1,10). Ei antecesserunt sophistae qui cum iuvenes ad vitam forensem et politicam instruerent, certam neque vulgarem institutionem profitebantur. Jam Platonis cum custodes tum philosophi scientias artesque liberales discunt. Quid Antisthenes regi proposuerit, non constat; certe non sapientiam et doctrinam. Nam Platonem *τετυφωμένον* appellavit (D. L. VI, 7), nimirum quod ipse quaestiones metaphysicas non curabat; leviorem et magis expeditam viam munivit (Themist. Rh. M. 27 [1872] 440 sq.) iis, qui pauperes sunt animo quique huic terrae artius adhaerent, quam ut ea ad beatitudinem indigeant. Rex quid regnum sit compertum habeat; discat iustam atque rectam res dijudicandi rationem, ut *φρόνιμος* sit. Nam *βασιλεὺς ἐκ μονάρχου λανθάνει γενόμενος, ὅταν παρὰ τοῦ θυμοῦ καὶ τῆς ἰσχύος μεταλάβῃ τὴν ἡγεμονίαν ὁ λογισμός* (Polyb. VI, 6,12).

Haec Antisthenis de regno disciplinae adumbratio tota posita est in Cynismi principiis, quae in eo constant, quod Antisthenes philosophiam eis accomodavit, qui pauperes sunt (duplici huius vocis sensu). Plura addere non licet; tamen ea quae composita sunt, sufficiunt ad dispiciendum, quae illa disciplina fuerit. Spectat ad id regale genus, quod apud Germanos fertur sub voce „aufgeklärtes Königtum.“ Ad id perventum est ex ethica sophistica et Socratica. Eius argumentum in eo versatur, quod regi officia, quae ad virtutem et subditorum curam quadrant, injunguntur, quae cum novisse debeat, instituendus est.

Utraque sc. et formae interioris et ipsarum sententiarum

observatio maximi momenti est ad quaestionem Dioneam dissolvendam, etsi diversa ratione. Videlicet interdum ex forma omne, ex sententiis nihil colligitur. Nam modo demonstrandum erit eam quam Antisthenes de regno professus est opinionem et postea usque ad Dionem vulgarem fuisse et iam antea eiusdem primordia indagari posse, ita ut si quae Antisthenes de suo adjecit, ea certe non tam ad fundamenta disciplinae quam ad diligentiorem eius descriptionem pertineant. Itaque sententiis accurate exploratis atque reputata historia litterarum περὶ βασιλείας apparuit viros doctos arbitratos ex illis gravissima argumenta ad fontes a Dione exhaustos perspiciendos repeti posse non levi quamvis proclivi errore teneri. Profecto ex sententiis solis, quas Dio, ubi regis officia describit, cum Antisthene communes habet, plerumque nihil concluditur; earum animadversio interdum sufficit ad fontem Cynicum statuendum eis locis, quibus Dio non proprie de regno agit. Jam cum res sic se habeant, facile intelligitur, quibus causis adducti tantum operae formae interiori eruendae tribuerimus. Ea Antistheni peculiaris ac propria est; itaque eam potissimum inquirere debet, qui Antisthenem apud Dionem investigat. Tum etiam sententiarum observationes subsidia praebebunt.

Caput II.

De ratione quae inter Dionem et Antisthenem intercedit.

§ 1. De apertis Antisthenis vestigiis.

Certum exemplum, ex quo Antisthenem a Dione usurpatum esse consentaneum est, exstat in priore orationis tertiae parte.

Omnis oratio dividitur in duas partes, quarum prior comprehendit § 1 – 42 *ἰδιώτας*, quibus § 42 *ὅμοια* — § 49 ap-

pendicis loco adjunctae sunt. Praeter copiosa additamenta, de quibus postmodo disserendum erit, continet certum propositum, quod in § 1 et 29 *μετά* sq. — 42 *ἰδιώτας* tractatur. Quas Dio hoc loco de vera beatitudine (§ 1) potentia (§ 29 *μετά* sq.) imperio (§ 36 sq.) instituit quaestiones (cf. § 39) artius inter se conexae sunt, ut ad eundem fontem referri debeant. Nam unus enarratur sermo inter Socratem et anonymum habitus; ubique reges Persarum pro exemplis proponuntur; § 32 *οὐδέ* et § 39 spectant ad § 1; denique disputationes *περὶ ἰσχύος* (§ 30 sq.) et *περὶ βασιλείας* (§ 36) sub eodem titulo (§ 29 *περὶ ἀρχῆς*) enuntiantur[1]). Jam occurrit ea forma, quam Antisthenem adamavisse supra ostendimus. Patet in definitione notionum *εὐδαιμονεῖν* (§ 1) *ἰσχυρός* et *δυνατός* (§ 32) *βασιλεύς* (§ 39 sq.) et earum nova interpretatione. Nam ille anonymus stat a parte vulgari: § 38 *σὺ ἄρα μόνος ἀνήκοος εἶ τούτων ἃ πάντες ἴσασιν;* Sibi persuasit se cum vulgo rectam rerum scientiam habere neque Socrati ipsi de eis dubitationem relinqui: § 30 *τοῦτο μὲν ἐπίστασαι;* § 36 *ἐκεῖνο μέντοι οἶσθα δήπου.* At *τύφῳ* occupatus est, cum se ea scire putet, quae revera nescit, quasi sophista. Nam Socrates *οὐκ ἔφη αὐτὸς εἰδέναι* (§ 1; cf. § 32 *οὐδὲ τοῦτό σοι ἔχω εἰπεῖν.* § 38 *οὐδὲ τοῦτο οἶδα*). Ei opinio vulgaris non sufficit, sicuti Antisthenes ea, quae vulgus censet, exprobrat. Ut hic verum sensum notionum a plebe et sophistis obliteratum eruere studet, sic Socrates circumscribit eum, quem putat *μεγίστην ἔχειν τῷ ὄντι δύναμιν* (§ 32) quique est *βασιλεὺς ἀληθῶς* (§ 39). De nominibus autem agi expeditur ex § 41 *οὐκ ἄν ποτε εἴποιμι τὸν τοιοῦτον ἄρχοντα* et § 42 *αὐτὰ δὲ πρῶτα δηλοῖ τὰ ὀνόματα τὴν διαφορὰν τῶν πραγμάτων*[2]). Accedit, quod Socratis sententia existimationibus vulgi contra posita aperitur illa *διαφορὰ* vere Cynica, ad quam spectat § 25 *τίς ἡ διαφορὰ τοῦ προσποιουμένου μὲν ἄρχοντος εἶναι, πλεῖστον δὲ ἀπέχοντος* . . (cf. I, 78). Habes igitur genuinam Antisthenis rationem disserendi. Adde, quod Socrates notiones ipsas item interpretatur atque

[1]) Quomodo illa cum hac cohaereat apparet ex III, 44 et II, 67.
[2]) cf. § 37 *ὅθεν δὴ καὶ μέγας βασιλεὺς κέκληται μόνος ἐκεῖνος.*

ille, sc. ex moribus et virtute. Nam beatitudo profluit *παρά τε αὑτοῦ καὶ τῆς αὑτοῦ διανοίας* (§ 1); potens est is, qui est *σώφρων καὶ ἀνδρεῖος καὶ δίκαιος* (§ 32), rex, qui est *εὐγνώμων καὶ φιλάνθρωπος καὶ νόμιμος* (§ 39). Huc spectat, quod singulae sententiae ipsae nequaquam abhorrent ab Antistheuis philosophia. Nam locus *περὶ εὐδαιμονίας* eius fundamentum est, cum eos, qui in paupertate et aerumnis vitam degunt, quomodo beati esse possint doceat. Is a Diogene in Dionis oratione sexta pari modo tractatus est atque a Socrate in III, 1. Deinde Antisthenes scripsit *Ἡρακλῆς ἢ περὶ ἰσχύος* (D. L. VI, 16). Herculis potentia virtus et labor erat; idcirco homines illos feros et robure, non virtute pollentes vicit (cf. Duemmler, Kl. Schr. I, 142). Jam quod Socrates notionem *ἰσχύς* definivit, suspicandum est hoc loco occurrere illam *ἰσχὺν Σωκρατικήν* ab Antisthene laudatam (D. L. VI, 11). Denique omnia, quae de regis munere explicantur, quadrant ad Antisthenem: regnum non potentia est, sed virtus (§ 36 sq.). Ea praecepta dantur, quae et ad regis virtutem (*νομίμως, δικαίως* . . § 39) et ad subditorum curam (*ἐπὶ σωτηρίᾳ καὶ τῷ συμφέροντι τῶν ἀρχομένων* § 39) pertinent. Rex *εὐδαίμων* est (§ 39), etsi non *ῥαθύμως* aut *ἀπόνως* vitam degit (§ 40). Rex pastor est (§ 41). Alia Cynicorum vestigia E. Weber 233 et Fischer[1]) 26/7 indagaverunt. Itaque Joelio eos rejicienti, qui hunc locum ex alio Socratico Dioni profluxisse opinantur (II, 1, 395), assentiendum est.

§ 2. De aetatis hellenisticae et romanae librorum *περὶ βασιλείας* vestigiis.

a) de I 11—36.

De compositione.

Cum eis quae modo explanavimus conferre praestat I 11—36. Ac primum quidem compositionem inspiciamus. Dio postquam

---

[1]) De Dionis Chrysostomi orationis tertiae compositione et fontibus, Bonn 1901.

propositum suum enuntiavit, in § 12—14 quis revera sit rex argumentis ex Homeri versibus B 205/6 repetitis significat; deinde § 15 verbis *οὐκοῦν λέγωμεν ὑπὲρ τοῦ καθ' Ὅμηρόν τε καὶ τῇ ἀληθείᾳ βασιλέως* alludens ad id, quod modo exposuit, non ad ea, quae tractaturus est, relabitur ad ipsum propositum. Sane § 12—14 continetur quaedam *ἐκτροπὴ τοῦ λόγου*, quales Dio adamat, cuius addendae ansam Homeri versus laudati praebuerunt. Id efficitur vel ex *γὰρ* particula (§ 12), quae non ad Dionis sententiam antecedentem pertinet, sed qua § 12—14 ita ad versus Homericos adjunguntur, ut hi illis explicentur et illustrentur. Etiam sensus loci docet § 12—14 continere nihil aliud nisi interpretationem versuum Homericorum, ita ut cum ad hos, non ad propositum ipsum quadrent, putandum sit eas ex alio fonte manavisse atque § 15 sq. Nam verbo *βουλεύεσθαι* § 12 respici Homeri illud *βουλεύησιν* apertum est. Jam quo verba *μόνον τὸν ἀγαθόν* referenda sint, non liquet ex eis versibus, quos Dio attulit; liquet ex eis, qui antecedunt quique a Dione praetermissi sunt. Legimus enim v. 200 sq. *ἄλλων μῦθον ἄκουε, οἳ σέο φέρτεροί εἰσι.* Jam § 12 *οὐχ ἅπαντας παρὰ τοῦ Διὸς ἔχοντας τὸ σκῆπτρον οὐδὲ τὴν ἀρχὴν ταύτην* spectant ad 203 *οὐ μέν πως πάντες βασιλεύσομεν ἐνθάδ' Ἀχαιοί*, cuius enuntiati argumentum inest in 201: nam is regnare debet, qui nostrum *φέρτερος* est, i. e. vir optimus, quia *εἷς κοίρανος ἔστω* (204): itaque huc Dionis illud *μόνον τὸν ἀγαθὸν* revocandum est. Apparet igitur Dionem qui eos tantum versus exscripsit, qui in suum consilium quadrabant, eiusmodi fontem adhibuisse, in quo totus locus Homericus explicatus erat, et quidem ita, ut ea quoque reciperet, quae in fontis, non ipsius sententiarum conexu primarie intelligi poterant. Etiam hinc manifestum est Dioni in § 12—14 certum neque eundem fontem atque in § 15 sq. fluxisse, qui si revera fluxisset nescio quomodo illa sententiae corruptela, quae sane statuenda est, explicari possit. Dio eo quod Homerum laudaverat, adductus est, ut interpretes evolveret, sicuti etiam alibi eos adhibuit, veluti § 38, quae congruit cum LIII, 11. Jam qui huius orationis fontes fuerint, non dubium est; nam

cum ea Homeri interpretandi ratio ac via occurrat, qua primus Antisthenes (E. Weber 226) deinde Stoici (R. Weber[1]) 162) ingressi sunt, et oratio ipsa inscripta sit *περὶ Ὁμήρου*, colligendum est Dionem recedere ad eorum scripta Homerica. Itaque eadem Dioni in I 38 praesto erant neque minus, si mihi credis, in § 12–14, quae opinio praeterquam quod alia exempla exstant, eo fulcitur, quod in eis genuina Antisthenis philosophia invenitur. Ac primum quidem patet forma illa interior, quae supra denotata est: definitur notio *βασιλεύς* (§ 14 *οὐδ' ἔσται ποτὲ ἐκεῖνος βασιλεύς*) vero sensu (§ 15 *τῇ ἀληθείᾳ βασιλέως*)[2]), qui a vulgari abhorret (§ 14 *οὐδ' ἂν πάντες φῶσιν Ἕλληνες καὶ βάρβαροι καὶ ἄνδρες καὶ γυναῖκες*). Deinde regi ea officia imponuntur, quae Antisthenes ei imperavisse visus est: sc. quae et ad ipsius virtutem et ad curam subditorum spectant. Hic conferas quam arte I 12–14 cohaereant cum III 36–42, quas ex Antisthene haustas supra demonstrasse mihi videor:

I 12 sq. *βουλεύεσθαι καὶ φροντίζειν ὑπὲρ τῶν ἀρχομένων οὐχ ὥςτε ἀκολασταίνειν . . ὕβρεως καὶ ὑπερηφανίας καὶ πάσης ἀνομίας ἀποπιμπλάντα ἐξ ἅπαντος αὑτοῦ τὴν ψυχὴν τεταραγμένην ὀργαῖς τε καὶ λύπαις . . καὶ ἡδοναῖς . . ἀλλ' . . νομέα καὶ ποιμένα τῷ ὄντι τῶν λαῶν γιγνόμενον . . ὡς οὐδείς ποτε . . φιλοχρήματος . .*	III, 39 sq. *εἰ μὲν γὰρ . . . ἐπὶ σωτηρίᾳ καὶ τῷ συμφέροντι τῶν ἀρχομένων ἐπιμελεῖται . . εἰ δὲ φιλήδονος καὶ φιλοχρήματος καὶ ὑβριστὴς καὶ παράνομος . . οὐδὲ ποιμένος ἐπιεικοῦς ἔχων ἦθος . .*

Itaque et forma interior et sententiae ad Antisthenem quadrant, ut verisimile sit Dionem eius scripta Homerica usurpavisse[3]). Quamquam eum ex Stoicorum similibus commen-

[1]) De Dioscuridis *περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ νόμων*, Leipz. Stud. XI (1888).
[2]) Etiam § 38, h. e. in ea parte, quae ad Cynicorum sive Stoicorum scripta Homerica recedit, legitur *τοὺς ἀληθῶς βασιλέας*. III, 39 *βασιλεὺς ἀληθῶς* ad Antisthenem supra relata sunt. [3]) Alia Cynicorum vestigia collegit Fischer 25–6.

tationibus hausisse non debet negari, quoniam bene cogitari potest Stoicos quos in studiis Homericis artissime ex Antisthene pendere constat, eius genuinam disciplinam retinuisse.

De forma et genere litterarum.

§ 15 Dio ad ipsum propositum transit iam § 11 indicatum. Pleraque quae de regis officiis enarrat, Antistheni optime conveniunt, nam ea ipsa referuntur ad virtutem et subditorum salutis providentiam. Itaque facile si quis tantum singulas sententias animadvertit, Antisthenem fontem fuisse suspicetur. Sed videas, quantum distet forma quam diximus interior. Antisthenes notionem declarat; Dio eam prorsus neglegit. Ille disserit *περὶ βασιλείας*, hic ut propositum sibi sumpsit „*φέρε εἴπωμεν τά τε ἤθη καὶ τὴν διάθεσιν τοῦ χρησιοῦ βασιλέως* (§ 11): apparet adjectivo *χρηστοῦ* apposito ipsam notionem *βασιλεύς* constringi et determinari, ita ut vel ab initio non in obscuro sit, quid sentiat. Itaque quod Antisthenes eruere studet, Dio non ignorat; quasi Antisthenes disseruerit de libertate animi, non *περὶ ἐλευθερίας* huic ipsi notioni clariorem lucem infundere conatus. Accedit quod Dio vulgi et sapientis opiniones non inter se opposuit; si negat regisque mores ex contrario illustrat, hic est usus rhetorum, quem postea Menander commendavit: *οὐχ ἁπλῶς ἐρεῖς τὰς ἀρετὰς . . . ἀλλὰ καὶ ἐκ τοῦ ἐναντίου* (Spengel, rhet. gr. III, 416, 12). Dio non refutare vult, non novam res pendendi rationem docere, sed ea describere, quae nemo ignorat. Profecto non notionem perspicere, sed rem explanare studebat, non definire, sed describere. Notionem intellegit, qui dicit *εἴπωμεν τὴν διάθεσιν τοῦ βασιλέως*, rem, qui ait *εἴπωμεν τὴν διάθεσιν τοῦ χρηστοῦ βασιλέως*; sc. si quis id ipsum ex eo quaesivisset, Antisthenem ea responsurum fuisse non sine tuo iure fingas, quae Diogenes Alexandro oblocutus est „*ἀλλ᾽ οὐδὲ ἔστιν, ἔφη, βασιλεύειν κακῶς οὐ μᾶλλον ἢ κακῶς ἀγαθὸν εἶναι*“ (Dio IV, 24). Sic vis illa dialectica prorsus distinguitur, quo factum est, ut singula, quae apud Antisthenem necessario efficiuntur, apud Dionem

obiter enumerentur. Itaque Dio non eam formam adhibuit, quam Antisthenes adamabat; nam non definit, sed describit. Itaque ne exterior quidem forma in obscuro relinquitur, quae et ipsa descriptio est. Iam quaeritur, num de ea aliquid certius statui possit.

Ac primum quidem constat eandem formam apud Dionem saepius occurrere, veluti in altera orationis quartae parte (cf. § 126 sq.) et in III, 51 sq., ubi novis additamentis obruta ac deturpata est. Apparet autem Dionem eam ita tractavisse, ut certam materiae et dispositionem et circumscriptionem sequeretur. Nam ut I, 15 sq. sic III, 51 sq. initium facit a regis deorum cultu, adjungit curam hominum variasque virtutes, quae sine certo ordine enumerantur. Iam cum in I eadem ratio perspicua sit atque in III; cum apud Philodemum [1] praecedat regis religio ac pietas: concludendum est Dionem certam artem iteravisse, quam non ipse finxit.

Ipso autem proposito ita defunctus est, ut rem simpliciter enarraret, non praecepta daret. Sane eius *λόγος ἁπλῶς λεγόμενος ἄνευ πάσης κολακείας ἢ λοιδορίας* (§ 15) certam habet vim protrepticam exemplo boni regis Caesari ante oculos posito quod sequi debet (Arnim 326). Sed adhortationes ipsas prorsus praetermisit ita, ut pro praeceptione afferret descriptionem. Hac in re patet eum consuetudinem quandam Stoicorum excepisse, cuius exemplum producam ex Sen. ep. 95, 66. Is enim testatur Posidonium eam descriptionum formam, quae appellatur *χαρακτηρισμός*, commendavisse, quia eandem vim haberet atque praeceptio, idque discrimen inter utramque statuit, quod in hac praecepta, in illa exempla virtutis ponuntur. Accedit, quod Stoicorum vestigia in tota adumbrandi ratione in aprico sunt. Dio enim quid rex censeat, explicat (*νενόμικεν, ἡγεῖται, ὁρᾷ* . .) et argumentis confirmat eiusque mores fuse enarrat. Quod si comparas cum Stoicorum sapientis aut rhetoris circumscriptione, patet ratio fere eadem. Illius exemplar tradidit Stob. ecl. II, 7, 11 g = 99 W., qui ex Chry-

[1]) *περὶ τοῦ καθ᾽ Ὅμηρον ἀγαθοῦ βασιλέως* (Hercul. vol. tom. VIII [184.]).

sippi περὶ δογμάτων libris hausit (ib. 12 = 116 W.), huius Cicero maxime in oratore, ubi Stoicam formam occurrere vel inde expeditur, quod Cicero sicuti Dio et Posidonius non praecepta ponit sed describit, id quod expressis verbis 14, 43 enuntiavit. Iam apud hos quoque describitur neque de notione agitur, sed de ipsa re. Singulae sapientis et oratoris facultates enumerantur sicut regis. Saepe causae, quare tales sint, afferuntur (Stob. pag. 99, 14 W.; Cic. or. 15, 47; Dio § 15 sq.) neque ea praetermittuntur, quae sapienti (Stob. pag. 99, 20 W.) rhetori (Cic. 15, 47) regi (Dio § 21) cavenda sunt. Itaque manifestum est inter regis et rhetoris et sapientis imagines magnam artis depingendi necessitudinem intercedere. Neque vero dubium est, quin hae descriptiones non ab initio pro protrepticis adhibitae sint. Nam cum res ipsa per se respiciatur neque tantum ad homines referatur, docta quaedam neque vulgaris vis inest. Haec suspicio confirmatur inde, quod illarum prima exempla occurrunt in Aristotelis eth. Nic.[1]), h. e. in commentario, non in scripto quodam paraenetico. Neque aliam vim Chrysippi libri περὶ δογμάτων prae se ferunt, qui per quamvis multos rivulos usque ad Stobaeum pervenerunt. Postea autem illae descriptiones protrepticorum vice fungebantur, ut etiam hoc modo doctrina divulgaretur. Hinc certum genus litterarum ortum est, quod fertur s. v. principis speculum, quo boni regis virtutes sic enarrantur, ut ipsa praecepta praetermittantur: sicuti Plinius, cui praecipere onerosum ac prope superbum esse videbatur (ep. III, 18, 3), vel de laudatione sua, quae revera speculum non est, quam tamen posteritati pro speculo obtinet, haec contendit: „(scripsi) primum ut imperatori nostro virtutes suae veris laudibus commendarentur, deinde ut futuri principes non quasi a magistro sed tamen sub exemplo praemonerentur“ (ib. 2). Iam cum Dionem Trajano quasi speculum offerre Arnim l. c. suo iure affirmet, manifestum est Dionem vel propter hanc necessitudinem ad id genus litterarum referri debere, ad quod illa revocavimus. Eius signifi-

[1]) cf. descriptionem hominis μεγαλοψύχου IV 8 = 1124 b 5 sq.

catio peculiaris non exstat. Est quaedam ethologia (cf. § 11 *εἴπωμεν τά τε ἤθη . . τοῦ χρηστοῦ βασιλέως*), quae a Theophrasti characterismis sive notationibus, quae ipsae descriptiones sunt, eo discrepat, quod hae spectant ad rhetoricam (Immisch, Philol. 57 [1898] 201), illa ad ethicam, quod his certum ἦθος, illa certa virtus sive vitium describitur et in his signa morum (*χαρακτῆρες*; auct. ad Her. IV, 50, 63; Sen. l. c. 65), in illa ipsi mores proponuntur.

In hac forma nihil occurrit, quod Antisthenis proprium sit. Neque putandum est formam Antistheneam aetate hellenistica et romana ab eis, qui de regno scripserunt, adhibitam esse, quoniam ab ea vehementer discrepat. Tum enim in civitatum locum regna cesserunt; principes (praeter Cassandrum) *βασιλεῖς* appellabantur hoc titulo ita accepto (quem qui anteierunt sibi non vindicabant), ut ad potestatem, non ad virtutem referretur. Profecto veri reges sive aderant sive adesse existimabantur; exempla iam non abditae aut terrae aut tempora praebebant, sed aequales (Hirzel, Dialog I 334), neque cuiquam num revera rex esset a principe quaerere licebat, cum *οὐ φάναι βασιλέα εἶναι* accusandi causa sufficiens esset (D. L. VII, 177; de Cynicis cf. ad or. IV). Itaque cum scripta *περὶ βασιλείας* eis dedicarentur, qui veri reges aut erant aut ducebantur, non quomodo reges, sed boni reges essent philosophi monebant neque fundamenta iaciebant, sed aedificium exstructum (quoniam regale genus iam non solum apud Persas, sed etiam in Graecia florebat) exornabant. Inde apparet formam Antistheneam tum tolerari non potuisse: et poterant ferri et quodammodo necessariae erant aut ea, quam Dio adhibuit, qua sive sub certo exemplo sive in universum boni regis mores adumbrantur, aut ea, qua Isocrates Aristoteles alii usi sunt, quam dicunt suasionem (Cic. ad Att. XIII, 28, 2), *λόγον συμβουλευτικόν* (Plut. mor. 189 D *παραινεῖν*). Haec duo genera philosophi cum libros suos *περὶ βασιλείας* saepissime in usum regum conscriberent, praecipue excoluisse videntur. Siquidem Xenophontis Cyri institutio iam Dionysio erat *εἰκὼν βασιλέως ἀγαθοῦ καὶ εὐδαίμονος* (ep. ad Pomp. 4, 1), haud

scio an ne specula quidem tum ignota fuerint. Pro certo autem affirmari potest Dionem non primum descriptionis illam formam Stoicam ad disciplinam περὶ βασιλείας transtulisse.

De sententiis.

Iam res ita sese habet, ut cum Dionis formam recentiorem esse statuendum sit, Dio aut sententias ex Antisthene haustas novae formae infuderit aut omnino fontem recentiorem adierit. Illam opinionem fundamento non carere colligitur ex III, 62 – 74. Quas paragraphos alteri orationis recensioni deberi postea monstrandum erit. In eis Dio exponit, quare rex labores non aegre ferat ita, ut ostendat omnia splendida molestiarum plena esse, meliorem autem partem deterioris imperium tenere. Itaque Herculis et Cyri Antisthenei propositum πόνος ἀγαθόν a Dione tractatum esse neminem fugit, id quod iam Joel II 1, 379 sq. perspexit. Eius primarius sensus elucet § 69 et 71. Sed Joelii observationes, quas iterare nolo, ita explere debemus, ut quomodo Dio Antisthene usus sit reputemus. Herculem dialogum protrepticum fuisse nemo est qui neget; Hercules hortatur, ut labores suscipiantur, quod boni sunt (cf. Plut. mor. 536 B). Dio ordinem invertit: non labores boni sunt, sed omne praeclarum labor est. Hoc modo ex protreptico fit consolatio: non iubet regem labores subire, sed monet, ne eos moleste ferat. Quae sit diversitas, cognoscitur ex § 68 comparata cum § 56: § 68 anima ἀνιᾶται λυπουμένη; § 56 ἥδεται τῇ αὑτοῦ πράξει. In § 56 agitur de amando labore (περὶ φιλοπονίας), in § 68 de tolerando labore (περὶ φερεπονίας). Non quomodo rex velit sed possit labores tolerare quaeritur. Itaque vis quaedam consolatoria irrepsit, quae etiam in ratione exempla cumulandi conspicua est.

Tamen etsi non desunt argumenta, quibus expeditur Dionem Antistheneis sententiis ita usum esse, ut eas novae formae infunderet, id ipsum nihil attinet ad I 15 sq. Nam nunc quidem demonstrabimus sententias a Dione allatas, quae saepe cum Antisthenis disciplina prorsus congruunt, ad ipsum Antisthenem necessario referendas non esse.

Pauci illi, qui adhuc de Dionis orationibus *περὶ βασιλείας* aliquid exposuerunt, eas cum certo auctore veluti Antisthene aut Xenophonte comparaverunt. Sed cum historiae rationem non haberent, eos fugit certam exstitisse traditam memoriam universalem et unisonam, quae minime neglegenda est. Ac primum quidem ea quae inter Dionem et Antisthenem interiacet aetate saepissime de regno actum est. Id apparet ex eis scriptis, quae adhuc in manibus tenemus, veluti ex Aristeae epistula quam ad Philocratem misit, et ex Philodemi Epicurei fragmentis Dioscuridisque reliquiis simillimis. Profecto etiam post Alexandri mortem quaestiones politicae tritae erant (Schwartz, Rh. M. 40 [1885] 238 sq.; Buecheler, Rh. M. 42 [1887] 198). Demetrius Phalereus Ptolemaeo suasit, ut libros *περὶ βασιλείας* lectitaret (Plut. mor. 189 D). Erant scripta, quibus ad reges provocabatur (cf. supra), quorum cognomina *ἀλαζονικά* Dio laudat LXIV, 22 fortasse ad similia scripta respiciens. Quae Suidas s. v. *βασιλεία* exhibet, haud dubie ex hellenisticae aetatis quodam libello *περὶ βασιλείας* excerpta sunt (Poehlmann, Aus Altertum und Gegenwart 287 sq.)[1]. Fortasse etiam Cicero (Wendland, Zschr. f. d. neutest. Wiss. V [1904], 335 sq.) et Julianus (Fischer 29) ex talibus fontibus hauserunt. Philosophi plerique de regno scripserunt[2]):

1) Megarici: Euphantus (*περὶ βασιλείας* D. L. II, 110).

2) Peripatetici: Aristoteles (*λόγος συμβουλευτικὸς περὶ βασιλείας* ad Alexandrum, fr. 646/7 Rose; Bernays, die Dialoge des Aristoteles 1863, 53 sq.). Theophrastus (*περὶ βασιλείας* D. L. V, 42; *περὶ παιδείας βασιλέως* D. L. ib.; *πρὸς Κάσανδρον περὶ βασιλείας* D. L. ib. 47, cf. Heitz, Die verlorenen Schriften des Aristoteles 1865, 207). Et Aristoteles et Theophrastus docuerunt, qualem esse in republica principem conveniret (Cic. de fin. V, 4, 11; cf. Dio III, 25 *ὁποῖον εἶναι δεῖ*, Plin. ep. III, 18, 3 qualis esse debeat princeps). Strato *περὶ βασιλείας* et *περὶ βασιλέως φιλοσόφου* (D. L. V, 59).

[1]) Kaerst 60, 1 contradicit. [2]) Nitor eis, quae collegit Henkel, Studien zur Geschichte der griechischen Lehre vom Staat 1872.

3) Academici: Xenocrates (*στοιχεῖα πρὸς Ἀλέξανδρον περὶ βασιλείας* D. L. IV, 14). Academicos et Peripateticos copiose res politicas tractasse testatur Cic. de fin. IV, 2, 5 sq.

4) Stoici: Cleanthes (*περὶ βασιλείας* D. L. VII, 175). Persaeus (*περὶ βασιλείας* D. L. ib. 36). Sphaerus (*περὶ βασιλείας* D. L. ib. 178). Exstat Musonii diatriba *ὅτι φιλοσοφητέον καὶ τοῖς βασιλεῦσιν*.

5) Epicurus (*περὶ βασιλείας* D. L. X, 28).

6) De Neopythagoreis cf. Stob. fl. 48 61 sq. = II 260 M. sq. Praeter philosophos, quorum eos tantummodo commemoravimus, qui proprie de regno scripserunt neque, sicuti Cynici, in diatribis aut apophthegmatis saepissime hunc *τόπον* obiter tetigerunt, rhetores loco *περὶ βασιλείας* excolendo operam navaverunt. Ex eorum, non ex philosophorum officinis laudationes, illi *λόγοι προσφωνητικοί* et *βασιλικοί* profluxerunt, quales in certaminibus thymelicis recitabantur [1]) quorumque primordia Burgess [2]) optimo iure aetati hellenisticae tribuit. Praeter has vere habitas laudationes exercebantur declamationes, veluti *ἐγκώμια Ἀλεξάνδρου* (auct. ad Her. IV, 22, 31; Cic. de or. II, 84, 341), quae Vergilius imitatus est (Norden Rh. M. 54 [1899] 468). Deinceps apud Romanos rhetores soli locum de regno exaraverunt. Tum in rhetorum scholis declamationes in tyrannos decantabantur (Ovid. ex Pont. IV, 16, 31; Iuv. sat. VII, 151 [3]). Laudationes ante se in usu fuisse Plin. ep. III, 18, 7 et pan. 54, 1 sq., 66, 1 sq. testatur, qui ipse rhetorum proprietates aperte prodit. Earum primum exemplum nobis traditum exstat in Verg. Aen. VI, 791 sq. (Norden l. c.). Ne specula quidem deerant: Seneca enim libros de clementia speculi vice fungi profitetur I 1, 1. Neque desunt multa, quae huc spectant, in rhetoricis illis elucubrationibus, quae sub Sallustii nomine feruntur, in Octavia fabula, apud Senecam. Iisdem temporibus ne Graeci quidem regionem tam saepe permigratam deseruerunt; de Philone cf. Barner, comparantur inter se Graeci de regentium hominum virtutibus auctores

---

1) Frey, de certaminibus thymelicis Basel, 1900 p. 36 sq. 2) Transactions and proceedings of the am. phil. assoc. 1900 p. 128. 3) Friedländer S. R. III, [6] 391. Schütze, Juvenalis ethicus, Greifswald 1905 p. 50, 1.

Marburg 1889, p. 12; Plutarchus rhetorum vestigia pressit (Hoffmann, Das literarische Porträt Alexanders des Großen 1907, 87 sq.), quorum principum *ἐγκώμια* et *ψόγοι* (Hoffmann 3 ¹/4) apud Graecos et Romanos pares erant. Denique Pollux, qui ad haec studia rhetorica alludit (I 40 *βασιλέα δὲ ἐπαινῶν λέγε* 42 *ψέγων δ' ἐρεῖς*) regum appellationes composuit, quem non ipsum suo opere illud lexicon elaborasse sed aliis usum esse constat, ita ut putandum sit iam ante eum fuisse, qui simili modo talia vocabula in usum rhetorum congererent.

Iam monendum est non omnes quos laudavimus scriptores cum Dione comparari debere, quod non licet eos omnes sub eodem conspectu collocare. Nam in illis scriptis *περὶ βασιλείας* non solum homo politicus (sicuti in Dionis oratione prima), sed etiam ipsum genus politicum animadverti poterat ita, ut num regalis civitatis administrandae forma praeferenda esset discuteretur. Hanc quaestionem, quam ad eam moralis philosophiae partem pertinere, qua agitur *περὶ τοῦ προσήκοντος*, Dio XXII, 3 declarat, Epicurus (ut exemplum addam) in libro *περὶ βασιλείας* aperuit certe eodem sensu atque Euhemerus (Hirzel I 396; Usener, Epicurea 94). Sed verisimile est earum commentationum *περὶ βασιλείας*, quibus regis officia descripta erant, multo maiorem numerum exstitisse, ex quibus denique eae segregandae sunt (si omnino peculiare ut ita dicam genus litterarum effecerunt), quibus illa ex principis usu definiebantur. Sophistas enim, quorum ethica posita est in proprii commodi intentione, *τέχνας* regnandi scripsisse a Xenophonte et Isocrate in usum conversas Endt (Wiener Studien 24 [1902], 38) conjecit. Quos Plato pol. 259 C docens hominem politicum et regium eundem esse, intellexisse videtur ita, ut politicum non in sophistarum modum suam, sed ut bonum regem subditorum utilitatem ante oculos habere non sine Antisthenis consensu censeret. Contra neque Isocrates neque Xenophon neglexerunt illas *τέχνας μεμηχανημένας τὴν ἀρχὴν μὴ εὐκαταφρόνητον εἶναι* (inst. C. VIII, 3, 1), sicuti ipse Aristoteles non solum *τὸ δίκαιον* sed etiam *τὸ συμφέρον* respexit, cum quomodo singulae formae politicae durare possent explicaret. Huc

quoque spectat id, quod Theophrastus scripsit *πολιτικὸν πρὸς τοὺς καιρούς* (D. L. V, 45) sane magis ad usum quam ad doctrinam, unde novus vocabuli *πολιτικός* sensus ortus est, qui Plutarchi libelli titulo *παραγγέλματα πολιτικά*, qui prorsus ex politici usu verba facit, illustratur quique ne postea quidem exstinctus est (cf. Diotog. apud Stob. fl. 48, 62 = II 263 M.: *πολιτικῶς αὑτὸν πλάσσοντα καὶ πραγματωδέως ὅπως μήτε τραχὺς φαίνηναι τοῖς πλάθεσι* . . .). Tamen in aprico est genuinam sophistarum de regno disserendi rationem ex Socratis temporibus in philosophia evanuisse. Quae ad principis commodum spectant monitiones sane admodum paucae obiter inseruntur vel ab eis, qui regis officia ad subditorum salutem revocant (cf. Arist. 246, Philod. col. 22).

Itaque omnibus exceptionibus observatis, quae sane minutiores sunt neque vere scrupulos movent, statuendum esse videtur ante Dionem magnam copiam scriptorum *περὶ βασιλείας* exstitisse, quibus idem propositum erat atque Dioni ipsi. Quod quomodo tractatum sit, disquirere iam ex re est.

Certam memoriam traditam unisonam exstitisse ipsi veteres testimonio sunt, veluti Dio fatetur III, 42 *ὅμοια δὲ εἰρήκασι περὶ ἀρχῆς καὶ βασιλείας οἱ μετ' αὐτόν* (sc. Socratem), item Plin. ep. III, 13, 2: in hac (materia, sc. laudatione regis) nota, vulgata, dicta sunt omnia et pan. 66, 3: omnes ante te eadem ista dixerunt. Idem nos colligere possumus in magna materiae nobis traditae tenuitate. Iam Wegehaupt, De Dione Chrysostomo Xenophontis sectatore, Göttingen 1896, p. 38 necessitudinem inter omnes, qui de bono et malo rege egerunt, intercedere intellexit. Ad eundem finem pervenerat Barner l. c., novissime pervenerunt Wendland l. c. et Hoffmann (p. 45 sq.), qui uterque singulum locum disciplinae *περὶ βασιλείας*, ille de rege servatore inscriptionibus quoque adhibitis, hic de tyranno perscrutatus est. Eis quae viri docti attulerunt exemplis nova quaedam quae ad Dionem pertinent adjicere liceat ex paucis scriptoribus ita electa, ut in summa temporum et nationum diversitate certa memoria unisona eluceat.

Iuvat ordinem Dioneum servare singulisque locis exempla ascribere temporis ratione habita.

§ 15 *θεῶν ἐπιμελής* (cf. III, 51): Aristeas 234. Philod.[1]) fr. 1. Lucian. Phal. II 1. Philostr. vit. Ap. V 36, 2. Marc. Aur. VI, 30. Pollux I 40. Stob. fl. 48, 61 = II, 260 M.

§ 16 *ἀνθρώπων ἐπιμελεῖται*. Synonyma: *φροντίζειν* I 12; *κήδεσθαι* I 17; II, 69; XXXIII, 26; *ὠφελεῖν* I 17, alia. Ar. 190, 244/5, 273. Plin. pan. 31,5 („cura"). Sen. de clem. I 3, 3. Muson.[2]) 39, 4. Luc. Phal. I 3. Poll. I 40/1. Stob. 48, 63 = II 265 M. Huc spectat locus *σωτήρ*.

§ 17 *τιμῶν μὲν τοὺς ἀγαθούς*: Endt l. c. 34. Ar. 224. Philod. col. 11 (cf. Dio II, 70). Plin. 14, 5. Octavia fab. 610.

§ 18 *φιλάνθρωπος* (cf. I, 6; II, 77; III, 39 . .): Ar. 208. Polyb. V 11, 6. Sen. de clem. I 1, 3. Mus. 39, 12. Plin. 24; 49, 5 . . Luc. Phal. I 3. Marc. VII, 31. Poll. I 40. *φιλάνθρωπος* saepe eodem sensu tractatur atque *ἥμερος, ἵλεως, πρᾷος* (Dio I, 20; II, 26 . .) *ἐπιεικής* (I, 7); contra tyrannus *ἄγριος, σκληρός, ἀμείλικτος, βίαιος, ὀργισθείς* (Dio II, 75; XXXII, 26 . .). Ar. 289. Philod. col. 7 (*εὐπρόσοδος* = Plin. 48, 1). Sen. de clem. I 13, 4. Sen. „de clem." cf. Plin. 35, 1. Luc. Phal. I 3. Philostr. V 36, 2. Marc. XI, 18. Poll. I, 40 sq. Stob. 48, 63 = II, 265 M. *ἐπιεικής*: Ar. 188, 192. Philod. VI, 5. Luc. Phal. I, 2. Poll. I, 40. Stob. 48, 62 = II, 264 M. Cass. Dio LXVIII, 7, 3.

§ 19 *θαυμάζεται, φιλεῖται, ἐρᾶται*, gratae memoriae particeps fit: II, 78; III, 60/1. Ar. 282. Polyb. V 11, 6. Philod. II; VII, 9. Sen. de clem. I 1, 5. Plin. 43, 2. Stob. 48, 62 = II, 263 M. Cass. Dio LXVIII, 7, 3.

§ 21 *φιλόπονος*, non *φιλήδονος* (III, 40; 57; 127; singula: I, 72; II, 34; III, 3; IV, 113; LXII, 3 . .). Ar. 223, 245. Philod. I [? Phaeacum *βίος τρυφερός*]. Mus. 34, 14; 35, 11. Plin. 24, 2; 44, 1; 81, 1 sq. Marc. VI, 30; I, 5. Poll. I, 40. Stob. 48, 62 = II 261 M. Notio prorsus Cynica, etiam Stoica: Stob ecl. II, 7, 11 k = 105 W.

[1]) Hercul. vol. tom. VIII, 1844. [2]) ed. Hense 1905; citantur paginae et lineae.

§ 22 *τοὺς στρατιώτας συστρατιώτας προςαγορεύει* (cf. 28/9 *φιλοστρατιώτης*): Plin. 13, 1 sq. (§ 3 „commilitones“). Poll. I 41.

§ 22 *πατήρ*, non *δεσπότης*: Sen. de clem. I 10, 3. Mus. 37, 4. Plin. II, 3, Poll. I 40. Stob. 48, 63 = II, 265 M. „Pater patriae“ titulus Caesarum. Epict. diss. I 6, 40.

§ 23 *εὐεργέτης* (I 34; II, 26; 71; XXXII, 26; XLIX,1): Ar. 249. Polyb. V, 11, 6. Theocr. XIV, 63. Eur. ep. ad Arch. IV, 2. Diog. ep. XL, 1. Sen. de clem. I 19, 9. Sen. „de beneficiis“ (Chrys. *περὶ χαρίτων*, Cleanth. *περὶ χάριτος*). Mus. 32, 11. Plin. 50, 7. Philostr. V, 36, 1. Poll. I, 41. Stob. 48, 61 = II, 261 M.

§ 24/5 omnes regem bonum intuendi desiderio flagrant non timore, sed verecundia impleti (cf. I, 34): Ar. 218; Cic. de rep. V, 4, 6. Plin. 22, 3.

§ 26 *ἁπλότης*, *ἀλήθεια* (III, 2): Ar. 206. Plin. 54, 5. Marc. V, 9 et alibi sexcenties.

§ 27 *φιλότιμος* (I 33, 69; II, 26 *ὑψηλός* 75 *ταπεινός*; III, 60), sc. non *φιλόδοξος*: Ar. 227. Philod. XXII; XVIII. Plin. 55, 8 sq. Marc. III, 4; VI, 30. Poll. I 40. *φαῦλος ἄτιμος*: Stob. ecl. II, 7, 11 i = 103 W. Laus utilis et necessaria: Philod. XXII. Aug. de civ. dei V, 13. Plut. mor. 1034 B.

§ 27 *πολεμικός*, *ἀνδρεῖος* (II, 17 *οὐκ ἀνδρειοτέρα μόνον* . . *ἀλλὰ καὶ πολεμικωτέρα*; II, 69; III, 10; I, 25; III, 5): Ar. 28 . Philod. IX, 6. Mus. 35, 15. Plin. 91, 1. Poll. I 41. Stob. 48, 62 = II, 262 M. Cass. Dio LXVIII, 7. 5. Virtus, quae ad salutem subditorum spectat: Polyb. V, 11, 5; Cic. de fin. III, 22, 66. Sen. de clem. I, 12, 3.

§ 27 *εἰρηνικός*, non *φιλοπόλεμος* (I, 6; VI, 51): Ar. 194, 273. Philod. X, 5; IX, 6. Plin. 16, 1 sq. Poll. I, 41. Pax Augusta: Hor. carm. I, 2. Sen. de clem. I 4, 2. Oct. fab. 279. Epict. III, 13, 9. Etym. Gud. v. *βασιλεύς*. Eustath. ad Hom. A 176. In imperio Romano orbem terrarum amplectante omnis *πόλεμος στάσις* est. Itaque *εἰρήνη* = *ὁμόνοια*.

§ 28 *φιλέταιρος*, *φιλοπολίτης*. Similia: *φιλοσυγγενής*, *φιλάδελφος* III, 119; cf. Them. VI, 76 D. Stoica: D. L. VII, 120. Specat ad locum *περὶ φιλίας*, quocum apud Dionem conjungi-

tur (cf. III, 86 sq.). Ar. 228. Philod. IX; X. Plin. 85, 2. Prächter, Hierokles der Stoiker 1901, 45 sq.

Apud Dionem igitur iidem loci occurrunt, qui etiam in aliis scriptis ad disciplinam *περὶ βασιλείας* pertinentibus inveniuntur. Neque vero Dio omnes quos alii auctores veluti Pollux praebent, tractavit multis, ut ipse declarat § 33, praetermissis, ita ut unitatem atque aequalitatem litterarum etiam multo ampliorem fuisse cogitandum sit quam ex Dione perspici potest. Quam quo melius intelligas, velim animadvertas hos denique locos, quibus tabulae regis officiorum in uno congestorum tibi ante oculos monstrantur: Plin. pan. III, 4; Dio II, 75; Mus. 36, 23; Marc. VI, 30; Plut. mor. 342 F; Poll. I 40 sq.; Jul. II, 86 A sq. (qui cum multa plura exhibeat quam Dio, hinc certe non pendet); etym. Gud. v. *βασιλεύς*.

Ex his exemplis concluditur memoriam litterarum tam unisonam fuisse,

1) ut Graeci cum Romanis consentirent, cuius consensus causa inde repetenda est, quod Romani Graecorum alumni etiam in doctrina politica erant, quam ex Scipionum temporibus maxime Stoici tradebant.

2) ut ii, qui contrarias philosophias sectabantur, eandem de regno disciplinam profiterentur, veluti Philostratus Stoicorum adversarius (Zeller III 2,⁴ 169 adn.) cum Marco Aurelio, Plutarchus, qui in Cynicos recentiores Alexandrum perstringentes invehitur, cum eis ipsis congruit (Hirzel, Dialog II, 78).

3) ut ne rhetores quidem abluderent a philosophis. Nam vis rhetorica in Plutarchi de Alexandri fortitudine orationibus ab Hoffmanno recte perspecta est; vel primo obtutu cognoscitur in Plinio, qui se ipse comparat cum eis, qui antea Caesarem laudassent, h. e. cum rhetoribus (ep. III, 18, 7). Sane concedendum est rhetores quibusdam proprietatibus differre a philosophis. Nam rhetores graecos solemnibus formulis in regibus celebrandis et supplicandis usos esse, quas apud philosophos frustra inquisieris, quaeque maxime ex inscriptionibus percipi possunt, Wendland demonstravit p. 344 (cf. Herzog, Koische Forschungen und Funde, 1899, 144 sq.). Id autem

attinet ad formam, non ad sententias. Profecto in his quoque discrimina inter rhetores et philosophos intercessisse nemo negabit: sc. ubi non agitur de regis officiis. Nam haec semper eadem aut describuntur aut commendantur aut ut praestita celebrantur. Itaque multi *τόποι ἐγκωμιαστοί* qui in laudationibus (*λόγοι βασιλικοί*) adhibentur, rhetoribus peculiares sunt, veluti Plin. pan. 4, 7 cum de Trajani corporis forma verba facit alludens ad eum locum, qui est *περὶ φύσεως*, his ipsis verbis quam rhetoricus sit plane declarat. Contra ubi regum mores et virtutes praedicantur, ii ipsi non alii proponuntur atque apud philosophos. Huc spectant loci *περὶ ἐπιτηδευμάτων* et *περὶ πράξεων*, quae ex quattuor virtutibus disponuntur [1]) (Men. Spengel rhet. gr. III, 373, 7). In eis simillimae sententiae occurrunt atque in scriptis philosophorum (cf. Men. 415, 24 sq. *ἐπὶ ταῖς πράξεσιν* in prosphoneticis), a quibus ita differunt, ut ea quae in his sive descripta sive monita sunt, in illis iam absoluta atque peracta pronuntientur. Scilicet priusquam rex laudetur, boni principis imago aperta sit necesse est. Itaque philosophus rhetori antecedit ita, ut ei fundamenta praebeat. Haec illius consensus est causa principalis, praeterquam, quod philosophi ipsi arti rhetoricae operam navabant neque deerant, qui postularent, ut orator in philosophia versatus esset; ut multa ex philosophorum scholis in rhetorum officinas irreptarent. Nam philosophi boni principis imaginem depingebant et regibus scripta sua dedicabant, quibus officia praestanda illustrata erant. Itaque cum philosophi in aulis

[1]) Haec dispositio iam apud Plut. mor. 332 C occurrit; cf. Ar. rhet III, 16 = 1416 b 16 sq. Quam Menander exhibet speciem *τοῦ λόγου βασιλικοῦ* proxime accedit ad eam, quam auctor artis rhetoricae quam dicunt Dionysii *τῷ λόγῳ προσφωνητικῷ* tribuit. Patet quam solemnes formae fuerint, quae aetate hellenistica ortae esse videntur (Burgess l. c.; Norden Rh. M. 54 [1899] p. 467, qui multa ex Isocrate repetivit). Suspicandum est illos locos artius cohaerere cum certis Stoicae ethicae partibus *περὶ πράξεων* et *περὶ καθηκόντων* (D. L. VII, 84; v. Arnim, Berl. Klass. Texte IV [1906] p. XII); apud Theonem Stoica notio occurrit: Spengel II, 112, 2 *μετὰ δὲ ταῦτα τὰς πράξεις καὶ τὰ κατορθώματα παραληψόμεθα.* Ad *πράξεις* cf. Philostr. vit. Ap. V, 36, 1.

regum summam vim atque potentiam consequerentur, quoniam ab omnibus arcessebantur, rhetores eorum disciplinae sese accomodare debebant.

Denique universalis quaedam causa totius huius memoriae litterarum consensus atque unitatis perspicitur primum quidem in eo, quod regis officia non ad tempora aut casus peculiares, sed ad ethicam Socraticam referuntur, quam cum semel constituta esset, Graeci non deseruerunt; deinde quod cum constet formas, non sententias mutatas esse, formae ipsae non multum inter se distabant. Nam iam supra commemoravimus Posidonium eandem vim descriptionibus tribuisse atque praeceptionibus (Sen. ep. 95, 66) neque aliter Quint. III, 8, 28 contendit totum genus laudativum habere aliquid simile suasoriis. Profecto idem valet de speculis, quae cum bonus princeps ut *εἰκών* et *παράδειγμα* proponatur (Dion. Hal. ep. ad Pomp. 4, 1; Plin. ep. III, 18, 3; cf. Dio III, 50 = IV, 89) et ipsa moralem tenent scopum: tauri quoque *εἰκών* est *παίδευμα βασιλικόν* (Dio II, 70).

Jam ex eis, quae adhuc exposita sunt, sequitur et formam a Dione adhibitam Stoicam esse et sententias apud omnes qui regis officia illustranda sibi sumpserunt, fere easdem occurrere. Itaque quoniam in forma nihil, quod Antisthenis proprium est, cognosci poterat, quaeritur, num in sententiis eius vestigia pateant ita, ut eum illius consensus litterarum auctorem fuisse accipiendum sit. Et quidem neminem fugit singulos locos ab eius de regno disciplina proxime abesse. Ad Antisthenem quadrant hac regis appellationes: *ποιμήν* (Plato in Politico hanc definitionem rejiciens in Antisthene offendisse visus est) *φιλάνθρωπος* (Kaerst 32, 4) *ἀνδρεῖος* (D. L. VI, 16) *εἰρηνικός* (Stob. fl. 51, 11 = II 302 M.) *φιλόστοργος* (Stob. fl. 1, 30 = 112 M.; de amicitia et amore in Hercule disputatum est: Duemmler, Kl. Schr. I 145), *ἐπιμελής προνοητικός* (ut *ποιμήν*) *εὐεργέτης* (Schwartz l. c. 254) *φιλόπονος* (D. L. VI, 2) *οὐ φιλάργυρος* (Stob. fl. 10, 42 = I 237 M.) *παρρησίαν δίδωσι* (Stob. fl. 14, 17 = I 268 M.) . . . quibus adice quae Joel collegit. Porro adde, quod Wegehaupt multas similitudines inter

Dionem et Xenophontem intercedere observavit, unde efficitur non Dionem ex Xenophonte hausisse, cum neque loci allati ad verba inter se congruant et easdem similitudines etiam ceteri scriptores recentiores exhibeant, sed certam memoriam universalem exstitisse, in qua, cum iam nemo dubitare debeat, quin Xenophon ex Antisthenis partibus stet [1]), Cynicorum vestigia in aprico sunt. Neque latet quomodo fieri potuerit, ut veteres Cynici tantam vim haberent: sc. quod eorum philosophia vel maxime divulgata est, cum Academici et Peripatetici doctis studiis sese darent. Antisthenis quidem non pauci erant discipuli (PWR v. Ant. 2539) et inter Diogenis auditores homines politicos fuisse testatur D. L. VI, 76. Ex Cynicis autem Stoici pendent, quos de regno saepe scripsisse supra ostentum est. Praeter hos Cynicae sententiae diffusae sunt et per Xenophontem, cuius Cyri institutio a Stobaeo exscripta pro speculo habebatur (Dion. ad Pomp. 4, 1) quique quo erat lepido ingenio et elegantia in arte exponendi maxime ex Ciceronis aetate vehementer lectitabatur, sicuti iam antea in Stoicorum scriptis περὶ βασιλείας adhibitus est (Dyroff, Die Ethik der alten Stoa 1897, 346), et per Isocratem, quem in orationibus πρὸς Νικοκλέα et Νικοκλῆς Antisthenis vestigia premere Joel II 1, 393 et Gomperz (Wiener Stud. 27 [1905] 180 sq.) docuerunt quique etiam in aetate byzantina saepissime usurpatus est (Keil Herm. 23 [1888] 346 sq. et Kyriakides, Θωμᾶς ὁ μάγιστρος καὶ Ἰσοκράτης Erlangen 1893). Denique quam Antisthenes ante oculos habet forma regni ea erat, quae per Alexandrum instituta est, Aristotelis illa παμβασιλεία, quae praeter ceteros apud Ptolemaeos floruit: ita ut ex ipsis rebus et historia facile explicatu sit, quomodo Antisthenis philosophia politica, quae eis aptissima erat, ad tantam vim pervenerit.

Tamen omnem illam ubertatem ad unum Antisthenem recedere vix credibile est. Nam Antisthenes ea aetate floruit,

[1]) Ad ea quae maxime Duemmler et Joel evicerunt, nuper accessit Dahmen, quaestiones Xenophonteae et Antisthenicae 1897.

qua quaestiones politicae magnam philosophiae partem amplectebantur. Ei antecesserunt sophistae et Socrates, quos quod Joel neglexit iam Duemmlerum offendit (Kl. Schr. I 295), qui in commentatione sua „Prolegomena zu Platons Staat und der Platonischen und Aristotelischen Staatslehre“ (Kl. Schr. I 150--228) fere primus, quantum video, sophistarum disciplinam politicam ita exposuit, ut Platonis iudicio non deciperetur, sed historiae rationem haberet. Constat autem et ante Antisthenem et quidem saepe non multo secus de rebus politicis inquisitum esse (ib. 225; Endt l. c. 3 sq.). Certa ferebatur sophistarum de monarchia disciplina, qua Herodotus (Maass Herm. 22 [1887] 581 sq.; cf. Reitzenstein Philol. 57 [1898] 45 sq.) Sophocles (Maass l. c. 585, 2) Euripides (Duemmler l. c. 157 sq.; Nestle Philol. suppl. 8 [1900] 638 sq.) usi sunt. Protagoras in antilogicis similia atque Plato disseruit (D. L. III, 37); is fortasse est Herodoti fons (Maass l. c.). Hippias quomodo *βασιλεύς* a *τυράννῳ* differret synoymice perscrutatus est (Suid. v. *τύραννος*); ex eo Isocrates hausit (Endt 4, 3). Talia studia comoedia excepit; nam Eupolis in fabula inscripta *Δῆμοι*, quae post ol. 91, 1 = 416/5 acta esse non videtur (Kock I 279), h. e. eo tempore, quo Antisthenes ille *ὀψιμαθής* (natus ca. 450: PWR 1539) dialogos suos de regno nondum conscripserat, Pisistratum regem, i. e. *τύραννον βασιλέα* appellavit (fr. 123 Kock); comicos autem ut tragicos poetas ne politicam quidem philosophiam aequalem neglexisse inde quoque efficitur, quod Aristophanes in avibus eam aperte respicit cum in ipso argumento tum eo, quod in deae Basiliae descriptione certam quae tum de regno versabatur disciplinam perstrinxit (Keil l. c. 355 sq.). Denique inter Democriti fragmenta multa exstant, quibus ea de regno explanantur, ut eum ex Antisthene hausisse putaveris (cum contrarium verisimilius sit)[1]; profecto

[1]) Cum Cynicis intime consonant haec: fr. 171 *εὐδαιμονίη* in anima posita 182 *παιδεία-φύσις*. 191 *ἀρκέεσθαι*. 207 *ἡδονή*. 210 *πόνοι ἑκούσιοι*. 283 *πενίη-πλοῦτος*. Iidem tituli scriptorum: D. L. VI, 17 = D. L. IX, 46 (*περὶ τῶν ἐν Ἅιδου; περὶ φύσεως*); cf. D. L. VI, 15 cum fr. 276 sq. D. L VI, 16 *περὶ ἐπιτρόπου ἢ περὶ τοῦ πείθεσθαι*: fr. 181 *κρείσσων ἐπ᾽ ἀρετὴν*

hoc loco egregie expeditur, quantopere ii erraverint, qui omnia ex Antisthene repetunt: cf. fr. 157 *ὧν* (sc. *τῶν οἰκονομικῶς καὶ πολιτικῶς βεβιωκότων*) *Δημόκριτος μὲν παραινεῖ τήν τε πολιτικὴν τέχνην μεγίστην οὖσαν ἐκδιδάσκεσθαι καὶ τοὺς πόνους διώκειν, ἀφ' ὧν τὰ μεγάλα καὶ λαμπρὰ γίνονται τοῖς ἀνθρώποις.* 265 *οὐ γὰρ ἐπὶ τούτῳ ἡρέθη ὡς κακῶς ποιήσων, ἀλλ' ὡς εὖ.* 254 de iis, qui honoribus et potentia indigni sunt. 251 *τῆς παρὰ τοῖς δυνάστῃσι καλεομένης εὐδαιμονίης*; cf. 118.

Ex paucis his reliquiis apparet et ante et per Antisthenis aetatem non solum saepe sed etiam similiter atque ab eo ipso de regno quaesitum esse. Nam non omnes sophistae eam speciem prae se ferebant, qua Plato Thrasymachum induit neque traditum est Antisthenem vetustiores quoque sophistas odio suo atque calumniis persecutum esse. Euripides certe eo fonte usus est, quo tyranni item atque ab Antisthene castigabantur (Duemmler, Kl. Schr. I 172); Antiphon *τὴν ἀνομίαν* improbavit, quae oritur *ἐκ πλεονεξίας* (Endt 4) Cyrique ut veri regis curam subditorum Herod. III, 75 et 89 commemorat. Itaque hi auctores cum Antisthene bene consentiunt neque habebat quod eos inlatraret. Quem pleraque cum multis Socratis quoque discipulis, quem ipsum de rebus politicis disseruisse Xenophon saepius testatur (cf. mem. I 1, 16), communia habuisse non opus est demonstrare. Tamen ut etiam hac ex parte apertum fiat Antisthenem neque primum neque singulariter de regno disputasse, velim recorderis Ciceronem illud praeceptum, ut principes „utilitatem civium sic tueantur, ut quaecumque agunt, ad eam referant obliti commodorum suorum", quod totum ad Antisthenem quadrat, suo iure Platonicum pronuntiasse (de off. I 25, 85).

Quae cum ita sint, neque Antisthenes pro unico memoriae traditae fonte habendus est neque sententiae a Dione ceterisque auctoribus allatae pro eis, quae Cynicis peculiares sunt. Om-

---

φανεῖται προτροπῇ χρώμενος καὶ λόγου πειθοῖ ἤπερ νόμῳ καὶ ἀνάγκῃ. Uterque de musica (D. L. VI, 17: IX, 48). Hoc accuratius disquirendum est. Nihil comperimus Antisthenem cum Democrito in philosophia necessitudinem exhibuisse, qui se Athenis ignotum esse conqueritur.

nino caveamus, ne Antisthenis indolem pluris existimemus quam est; certe ex conexu philosophiae politicae a sophistis et Socrate institutae solvi non debet. Apud eos autem traditionis fundamenta iacent; deinde Antisthenes aedificii exstruendi sane proprium stilum ingessit. Fundamenta illa quidem per tempora fere eadem manserunt. Etiam apud posteriores rex ea officia praestare debet, quae et ad virtutem et ad curam subditorum spectant (cf. Philostr. vit. Ap. V 32, 1; Them. II, 35 D ξὺν ἀρετῇ καὶ ἐπ' ἀγαθῷ τῶν ἀρχομένων). Marcus ὅπερ ἂν ὁ τῆς βασιλικῆς καὶ νομοθετικῆς λόγος ὑποβάλλῃ definivit τὸ πρᾶξαι ἐπ' ὠφελείᾳ ἀνθρώπων (IV, 12); etiam Stoicus rex pastor est (v. Arnim, Stoic. vet. fr. III, 332); etiam Cicero principi beatam civium vitam proposuit, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta esset (de rep. V 6, 8 cf. II, 23, 43); idem discrimen, quod Graeci inter regem et tyrannum statuerunt, Cicero agnoscit (de rep. II, 26, 47 sq.); Stoici quoque quaerunt, quis rex sit ἱκανός, ἐπιτήδειος, ἄξιος τοῦ ἄρχειν (Mus. 39, 5). Sed ornamenta haud dubie variabantur et amplificabantur. Et quidem hac in re Stoicorum vestigia non latent; ut exempla afferam ex Polluce: ad βέβαιος (40) cf. Marc. I, 16; VI, 30; Stob. ecl. II, 7, 11 m = 108 W.; ad τελεσιουργός (40) cf. Marc. II, 16. Stoicorum vestigia apud Dionem detecta sunt a Bindero 83 et Fischero 57 in eis potissimum, quae de deorum veneratione explicantur. Itaque quoniam ad finem quaestionis pervenimus, suspicari debemus Dionem Stoicum de regno tractatum ante oculos habuisse. Nam etsi aliquis conjecerit eum omnino non ad certos fontes revocandum esse, quoniam omnia divulgata fuisse constat, tamen id ipsum inde probabile est, quod se quendam λόγον κατὰ φιλοσοφίαν praebere concedit § 9 certamque eius formam adhibuit, quam Stoicorum artem prodere supra ostendimus. A Stoicis autem ne singulae quidem sententiae abhorrent, qui sapientis mores similiter descripserunt atque Dio Pollux Julianus virtutes regis. Id apparet ex Stob. ecl. II, 7, 11 g = 99/100 W., qui ex Chrysippi libris περὶ δογμάτων hausit (12 = 116 W.); vir φαῦλος sic adumbratur (ib. 11 k = 103 W.): ἄγριος, θηριώ-

δης, βλαπτικός, ἀνήμερος, τυραννικός, δεσποτικός, ὠμός, βίαιος, παράνομος..: habes enumerationem similem atque apud Pollucem. Itaque inter sapientis et regis descriptiones non solum formarum sed etiam sententiarum magna necessitudo intercedit. Quod quomodo explicandum sit, non in medio relinquitur: sc. quod Stoici docebant regem sapientem esse (Stob. ib. 11 m = 108 W.) et fieri posse negabant, ὅπως βασιλεὺς ἀγαθὸς εἴη τις ἂν μὴ ἄνθρωπος ἀγαθὸς ὤν (Mus. 38, 13). Neque desunt vestigia, ex quibus utrumque inter se permixtum esse pateat. Nam quae Dio III, 123 sq. de rege exponit, in fonte de sapiente dicta erant (μόνος § 123; Fischer 45); idem quae rex agit comprobat eo, quod ὁ δίκαιος καὶ ἀγαθὸς ἀνήρ facit (I, 15), quaeque III, 105 de sapiente pronuntiavit, valent I, 32 de rege. Tum autem putare licebit Stoicos quos saepe de regno scripsisse constat, ipsos ad regem ea transtulisse, quae de sapiente docebant, neque quicquam obstat, quominus Dionem ad eos rediisse censeamus. Quod saepe Cynicorum proximus esse videtur, id ex litterarum memoria a Stoicis servata facile expeditur; certe ne Petrus quidem Magister, quod interdum ab Antisthene non multum abest (πατήρ IX 295a; φιλάνθρωπος, προνοεῖν X 295b; εὐεργετεῖν καὶ σῴζειν XII 343b; ποιμαντικὴ τέχνη, κολακεία, ἡδονή XVI, 296b ed. A. Mai, scriptorum veterum nova collectio II [1827] 571 sq.), ad eum ipsum revocari debet, sed ad Stoicos[1]), qui talia ex Cynicis receperant.

b) de altera orationis tertiae parte.

Ex eis quae adhuc exposita sunt, sequitur quaestionem Dioneam solvi non posse nisi primum quidem toti litterarum περὶ βασιλείας historiae inseritur, deinde nisi Antisthenis quem Dionem totum redolere dicunt, de regno disciplina restituitur, ut quam raro ea, quae veteris Cynismi propria sunt, in Dione occurrant perspiciatur. Apparet autem eadem, quae de I 15 sq.

---

[1]) In Stoicorum modum genus mixtum laudavit (Phot. bibl. cod. 37, qui Petrum intellegit), Jovis et mundi imitationem proposuit (cf. ad I 37 sq.). Liceat nomine „Petrus M.“ uti; contra Krumbacher, Byz. Litt.[2] 239.

affirmata sunt, valere etiam de altera orationis tertiae parte. In qua eandem descriptionis formam subesse inde expeditur, quod materia item et disponitur et proponitur atque in I[1]). At singuli loci in III multo fusius tractantur, id quod inde factum est, quod primum quidem in altera parte, quam cum priore omnino non cohaerere lacuna post § 50 constituta Arnim perspexit, redactoris manus deteguntur, qui varias recensiones contaminavit singulosque locos alterum alteri tam neglegenter annexuit, ut num de hac parte item iudicandum sit atque de or. LXII quaeri possit. Deinde Dio ipse descriptionem regis morum additamentis ita auxit, ut in eius fundamento novum aedificium exstrueretur. Quem cum saepe pro singulis sententiis quae in I 15 sq. simpliciter enumerantur, tractatus exhibeantur, variandi rationem, quae apud rhetores in usu erat, (*τὰ αὐτὰ ἕτερον τρόπον ὑποβάλλειν* Dio XVIII, 18), certo consilio secutum esse in aprico est. Nam non semel ad Trajanum fecit verba de regno, ita ut non semper eadem proponere deberet, nisi taedio esse voluit; tertiam autem orationem post primam habitam esse collegit Arnim 399. Iam cum non solum Dio publice orationes de regno recitaret, immo laudationes, adhortationes, specula vulgaria atque trita essent, Dio praecipue id agebat, ut et materias et formas variaret. Idcirco et eos locos inculcavit, qui cum disciplina *περὶ βασιλείας* non arte cohaerent, quosque ei, qui complures huius orationis editiones conjunxit tribuere non licet, et in omni genere dicendi vim quandam demonstrativam affectavit, qua tenuitatem sententiarum obscuraret (Arnim 431 sq.). Profecto eum § 26 sq. cum se excusat, quod semper de iisdem rebus eadem profert, fundamento dialecticae Antistheneae usum (Joel II 1, 394) propriam animi egestatem defendere eum non fugit, qui accuratius Dionis mores atque indolem cognoscere studuit.

Additamentis igitur, de quibus suo loco adnotandum erit, praetermissis apparet ad eam regis morum descriptionem

---

[1]) cf. *νενόμικεν* 55, 86, 123 . .; 58 *νομίζει*; 62 *ὁρᾷ*; 83 *κατανοεῖ*: I 20 *εἰδώς*; 21 *οἴεται, ἐπίσταται*; 23 *νενόμικεν* . . Incipitur a regis deorum cultu, sequitur cura subditorum praeceptaque moralia.

quae in I observata est, maxime quadrare § 51—5 (cf. I 15/6), 83—4 (cf. I 21), 86 et 111 sq. (cf. I 22 et 30 sq.), 119—22 (cf. I 28). Itaque de his locis, qui vel ipsi interdum fusius tractati sunt, idem statuendum est atque de I 15 sq. neque opus est diutius in eos inquirere. Accedit quod etiam in § 51 sq., quibus de cultu deorum agitur, Stoicorum vestigia aperta sunt (Fischer 44 et Binder 83 et 87), ita ut in hac quoque re inter utramque orationem certae necessitudines obversentur.

§ 3. De aliis recentiorum scriptorum vestigiis.

Iam quoniam contigit, ut certis exemplis erueremus Dionem ad fontes recentiores rediisse, suspicio movetur idem etiam alibi accidisse. Itaque videamus, quantum haec suspicio probari possit. Ac primum quidem cum expositum sit Dionem eas de regis officiis sententias praebere, quae apud aequales divulgatae erant, praestat quaedam argumenta afferre, ex quibus Dionem ex consuetudine suae vel antecedentis aetatis pendere expeditur.

a) De praeceptorum rhetoricorum et philosophorum observatione et de Trajani exemplo.

Hoc loco animadvertendum est Dionem non primum Alexandrum cum Philippo colloquentem fecisse (or. II). Nam et Panaetius alterum cum altero comparavit (Cic. de off. I 26, 90) et Alexinus (Euseb. pr. ev. XV, 2, 4) et Lucianus (mort. coll. 14) eorum colloquia enarraverunt. Sane ut exempla regum et tyrannorum semper eadem occurrunt, quod „regum et iniuria latius patet et infamia atque odium saeculis traditur" (Sen. de clem. I 18, 3), ita dialogorum, quorum sane numerus permagnus exstitit, sollemnes erant figurae, quas ne Dio quidem sprevit. Deinde quod eas certis lineamentis circumscribit, rhetorum characterismos aperte sequitur. Quos tum vel maxime in usu fuisse patet ex ipsius Dionis variis Alexandri morum adumbrationibus. Qui in or. IV prorsus contrarii sunt eis, quibus in II subornatur. In utraque enim oratione *ἐπιδείκνυται τὴν αὐτοῦ διάνοιαν* (cf. II, 32: IV, 18); sed in II

non ignorat quid regis munus sit, nescit in IV; in II *φιλότιμος* est, in IV *φιλόδοξος*; in II *οὐδὲν φαῦλον οὐδὲ ταπεινὸν ἐπινοῶν* (7), in IV *τραφεὶς ἐν βασιλικῷ τύφῳ* (6); in II Homerum optime novit, in IV 39 hac scientia a Diogene superatur. Tantopere igitur et Alexandri morum descriptiones fluctuabant et characterismorum varietas in deliciis erat. Neque vero casu aut ex arbitrio Dio eos mutavit, sed certum rhetorum praeceptum secutus est, quod maxime ex aetate hellenistica invaluit. Postulabant enim, ut ubique *τὸ πρέπον* observaretur, ut elocutio atque personae quadrarent ad ipsum propositum. Quam regulam etiam Dionis temporibus vim habuisse docet Plutarchi exemplum Menandrum Aristophani praeferentis, quod is maxime decori rationem habuit. Quam Dio ipse commemoravit LV, 12 sq. ita, ut eam maxime in Socratis sermonibus erueret. Iam apparet Dionem eam in or. II secutum esse inde, quod Alexandrum et elegit et singularibus moribus exornavit. Nam cum eum Homeri amantissimum fuisse traditum sit, cui Aristoteles Homeri carminum editionem dedicavit, aptissimus Homeri laudator erat, neque quod Dio eum hominem *φιλότιμον* finxit, quem dicit *διαλεχθῆναι περὶ Ὁμήρου μάλα ἀνδρείως καὶ μεγαλοφρόνως* (§ 1), aliter explicandum est nisi inde, quod materia, de qua verba facit, est *τῷ ὄντι γενναία καὶ μεγαλοπρεπὴς καὶ βασιλική* (§ 6). Itaque non dubium est, quin Dio in personis dialogorum et eligendis et describendis interdum pendeat ex consuetudine suae aetatis.

Accedit, quod Dionem non solum rhetorum, sed etiam philosophorum placita respexisse in altera orationis primae parte demonstrari potest hoc modo.

Lucianus in dialogis inscriptis *Φιλοψευδής* et *Ἀληθὴς ἱστορία* eos illudit, qui miras res enarrant. Intellegit autem maxime aretalogos quos dicunt (schol. Bobb. ad Iuv. apud Reitzenstein, Hellenistische Wundererzählungen 1906, 8), qui deorum *ἀρετάς*, i. e. miracula sibi monstrata praedicantes homines veram religionem atque pietatem docere volunt. Eorum narrationes recentiore notionis *ἀρεταλογία* sensu [1]) accepit

[1]) De voce et historia aretalogiae Reitzenstein l. c. 1 sq.

pro fabulis et mendaciis, quae prorsus abjicienda ducebat, cum exigeret veritatem. Iam Dio in altera orationis primae parte duas narrationes exponit: priorem ipse habet, alteram sacerdotem habentem facit. In priore explicat, quae sibi accidissent: exsul solus per agros silvasque vagatus aberravit; offendit mulierem quandam vaticinandi vi ac munere praeditam, quae ei mythum, quem postmodo refert, enuntiat. Quam prope haec omnia accedant ad aretalogorum consuetudinem[1]), facile intellegitur. Nam ut aretalogi Dio quoque alios ea docere vult, quae et vidit et audivit; ipse quoque affectat vim quandam religiosam miris coloribus ubique adpictis; venit *οὐκ ἄνευ θείας τύχης* (55); cum sacerdote, quam dei consuetudine sua dignantur, congreditur et quidem in summa solitudine: sicuti Eucrates *μεσούσης τῆς ἡμέρας* (cf. Dio 52 *μεσημβρίᾳ σταθερᾷ*) solus per silvam divagatur subitoque Hecaten aspicit (Luc. philops. 22); illa denique praedicit Dionem iam non diu exsulem fore (55), quod revera evenit. Quae cum ita sint, Dio cum non ignoraret se a Lucianis non probatum iri (56 *εἰ καί σου καταφρονεῖν τινες μέλλοιεν ὡς ἀδολέσχου καὶ πλάνητος*) sese defendere debebat: sc. non quod fabula quaedam de Hercule enarratur, sed ea tueri necesse erat, quae de se exponit; nam haec omnia mira sunt et fere extra fidem propterea, quod Dioni ipsi, quem auditores praesentem aspiciunt et audiunt, accidisse dicuntur, cum illa per se fabula sit nec veritatis et historiae fidem sibi vindicet. Neque quomodo sese defenderit obscurum est. Nam primum quidem incredibilem illam vim ab aretalogis affectatam

[1]) Cynicorum vestigia minime patent; multa conveniunt aetati Theocriteae et Vergilianae: venatorum, pastorum *ἁπλᾶ ἤθη* (51); *περὶ τὴν χώραν διατρίβειν* (ib.). Dionem aretalogorum consuetudinem excepisse cognoscas comparata ea ratione, quam Plat. conv. 201 D adhibuit, ubi de Socrate et Diotima loquitur. Paucissimis enim verbis exponit, quomodo Socrates ad eam pervenerit neque describit ipsam rem. Profecto miri colores atque vis illa religiosa aretalogorum propria prorsus deest. Contra Dio id ipsum quod Plato praetermisit, fuse tractavit ut *ἔκφρασιν* quandam rhetoricam. Itaque cum verisimile sit Dionem sacerdotem illam finxisse ex Diotimae exemplo (Hagen, Quaestiones Dioneae Kiel 1887, 10), iterum patet, quam libere novis formis ea, quae ab aliis excepit, infuderit.

constringere studuit. Eucrates enim se ipsam Hecaten vidisse dicit, cuius horribilem aspectum recordatus denuo terrore agitatur, deinde Tartarum eiusque incolas. Contra Dioni non deus apparuit, cui non licebat mendacia proponere, cum ad Caesarem (et quidem primum) verba faceret. Cum sacerdote congreditur; ea autem vaticinatur *οὐχ ὥςπερ οἱ πολλοὶ τῶν λεγομένων ἐνθέων ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν, ἀσθμαίνουσα . . ἀλλὰ πάνυ ἐγκρατῶς καὶ σωφρόνως* (56). Tamen non omnem vim fabulosam ademit; restat maxime id, quod narrationem a sacerdote, non ab historico aut philosophis veritati studentibus enarratam proposuit. Quod opprobrium ut infringeret, § 57/8 dilucide alludens ad eos, qui ubique veritatem requirunt, contra posuit *τοὺς σοφοὺς καὶ ἀληθεῖς κατ' ἀνθρώπους λόγους* et eos, qui divino inflatu enuntiantur. Illi sunt *ἄτοποι καὶ πονηροί* (58), contrarii hi: nam de fabula sua dicit: *τυχὸν οὐκ ἄτοπός σοι φανήσεται* (49). Itaque pro argumento, quo sese defendat, utitur eis sententiis, quae tum plurimi amplectebantur, qui cum veritatem (ev. Joh. 18, 38) et profundiorem scientiam desiderarent, divinationem pluris aestimandam esse censebant quam scientias humanas: ut Neopythagoreis sese darent sicut Nigidius Figulus, ut philosophiam et doctrinam postponerent divinationi, sicut Stoici (Zeller III, 1^3, 342 sq.), ut oraculis et prodigiis fiduciam haberent sicut Plutarchus. Sic Dio cum se multis offensioni fore putaret ea enarrantem, quae aretalogiae speciem prae se ferebant, vario modo sese defendit. Quod ab eorum partibus stat, quos Lucianus contendit *χαίρειν μηδὲν ὑγιὲς λέγοντας* (Phil. 1), affirmat orationem suam esse *ἱερὸν καὶ ὑγιῆ λόγον* (49). Profecto eius adversarii egregie repraesentantur illo Euphrate, qui aperte alludens ad similia studia atque quae Dio hac oratione professus est, regem monet: *φιλοσοφίαν δέ, ὦ βασιλεῦ, . . τὴν μὲν κατὰ φύσιν ἐπαίνει καὶ ἀσπάζου, τὴν δὲ θεοκλυτεῖν φάσκουσαν παραιτοῦ* (Philostr. vit. Ap. V 37, 1). Dio autem divinam suae orationis vim illis ipsis verbis denotat, cum eam appellet *ἱερὸν λόγον* ea significatione usus, quae inter Pythagoraeorum et Orphicorum librorum titulos occurrit.

Iam cum demonstratum sit Dionis orationes pendere etiam ex aequalium studiis et doctrina ita, ut rhetorum et philosophorum praecepta ut in forma sic in sententiis observata sint, suspicandum est inter gravissimas causas cur eas adaptaret ad ea, quae ei ante oculos versabantur, fuisse id quod Trajanum allocutus est. Nam eius mores et consuetudines respicere debebat, siquidem orationi suae vim et effectus tribuere volebat. Neque difficile est illustratu eum id ipsum revera fecisse.

Trajani mores enarrat Cass. Dio LXVIII, 6 sq., cuius descriptionem etsi magnopere cavendum est, ne satis idoneam existimemus quae ad historiam Trajani restituendam adhibeatur, quoniam ad eum sollemnes illae de quibus supra actum est boni principis virtutes transferuntur, tamen peculiaria quaedam exhibere manifestum est, quae cum veritate et historia congruere videntur. Ac primum quidem quod Dio easdem virtutes, sc. iustitiam et fortitudinem celebrat (II, 54), quas Trajanus potissimum praestitit (Cass. 6, 2), non magnopere premendum est, quoniam uterque Dio ex memoria litterarum haurire poterat. Id autem, quod Trajanus *παιδείας μὲν ἀκριβοῦς, ὅση ἐν λόγοις, οὐ μετέσχε, τό γε μὴν ἔργον αὐτῆς καὶ ἠπίσιατο καὶ ἐποίει* (Cass. 6, 4), Dio aperte respicit, cum ne rex nimiam operam studiis liberalioribus impendeat, ut potius facta quam verba teneat hortetur (II, 25 sq.). Deinde ad Trajani belli militiaeque amorem (Cass. 7, 5) spectat, quod militarem quandam vim alteri orationi intulit, quae etiam ad tempora quadrat (Arnim 407; cf. 326 de or. I). Adde quod Trajanus Alexandrum summa aemulatione ac studio amplectebatur, quae sane causa erat, quod Dio Alexandrum et in altera oratione ut optimum principem proponeret et in quarta oratione aciem conviciorum, quae philosophi et rhetores in Alexandrum effundebant quaeque excepit, retundere studeret (Hoffmann 77). Ad Trajanum id quoque referendum est, quod ne eum laudaret recusavit. Nam III 12 *ἀλλ᾽ οὐκ* sq.[1]) se defendit a crimine blandiendi,

[1]) Quomodo verba *ἀλλ᾽ οὐκ* cum antecedentibus cohaereant, non intellegitur. Itaque hoc loco corruptela lectionis statuenda est. Quae

ut I 15 ne blandiri videatur, in universum verba facit de bono rege (cf. L 6; Them. I 1a II 27c; Plin. pan. I 6). Sane laudationem evitavit vel sua causa, quoniam neque philosophum decebat blandiri et ipse Dio ut postea contra Musonium monarchiae obtrectatorem scripsit (Arnim 149 sq.) ita antea in reges vehementissime invectus erat. Sed accedit, quod Trajanus privatas gratiarum actiones cohibebat intercessurus etiam publicis, si ei licuisset vetare, quod senatus iubebat (Plin. pan. 4, 2). Profecto in hac quoque re distabat a Caesaribus antecedentibus, quibus imperantibus laudationes magnopere in usu erant. Nam ut in omni arte regnandi simplicitatem atque popularitatem affectabat, ita laudationes, quas invisas fuisse Plin. ep. III, 18, 7 testatur, coercuit secutus philosophorum praecepta, quibus omnino maxime sese applicabat (Kaerst 93), qui bonum regem laudationes captare ex Antisthenis temporibus plerique negaverant (cf. quae supra ad locum φιλότιμος adnotata sunt). Inde factum est, ut temporum illa diversitas, quae ab aequalibus iterum atque iterum celebrabatur (Plin. pan. 2, 3; Tac. Agr. init.), etiam in rhetorum et sophistarum scholis vestigia relinqueret: ita ut Dioni cavendum esset, ne neglectis eius studiis ac praeceptis Caesarem irritaret.

Denique ex Trajani exemplo Herculem descripsit in ea fabula, quam sub fine orationis primae enarravit: sc. non mores, sed honores atque munus Trajani ad Herculem transtulit. Nam Dio Herculem Trajano ut exemplar quod imitetur opponit, id quod § 84 scite et eleganter indicavit dicens Herculem punire τοὺς ἀνημέρους καὶ πονηροὺς ἀνθρώπους, Trajano autem imperii esse conservatorem, ubi subaudiendum est: dummodo

---

tamen minime ea est, ut § 12 ἀλλ οὐκ — 24 in genuina oratione defuisse cum Arnimio conjici debeat; fortasse sic explicari potest: in primaria orationis editione § 25 secuta est § 12 λέγεσθαι ita, ut Dio § 25 per aposiopesin haec diceret: „sed ne blanditoris speciem exhibeam — tamen ne timendum quidem est, ne hoc fiat, nam . ." deinde hac causa absoluta priore sententia iterata pergit μήτε σὺ . . primario contextu asservato; is autem qui orationes dum Dio recitat exscripsit, priorem sententiam primum enuntiatam cum non intellegeret, ratus eam non integram esse omisit.

is ipse bonus probusque sit Herculisque similis, qui se imperio dignum praestitit. Itaque siquidem Hercules quasi speculum est, Trajanus in eo suam ut optimi principis imaginem conspicere debet, ita ut Hercules ea vice fungatur necesse sit, qua Trajanus fungitur.

Dio enim primam orationem paulo priusquam Trajanus ex Germania reversus prius bellum Dacicum susciperet, in ea pace habuit, cui undique hostes imminerent (Arnim 325). Res et tempora etiam in eo respexisse videtur, quod sperat Herculem fore βοηθὸν καὶ φύλακα τῆς ἀρχῆς (84), et quidem Herculem suo iure appellat; nam ei fratres arvales pro Caesaris reditu ac victoria in illo bello reportanda hostias spoponderant (Henzen, acta fr. arv. 124). Herculem autem tantummodo eos adiuvare dicit, qui boni principes et imperio digni sunt. Estne Trajanus imperio dignus? Dio neque quaerere debebat, num revera rex esset, neque eum laudare ut optimum principem neque praecipere, quid ei agendum esset. Quas difficultates omnes effugit speculo adhibito, quo alio exemplo usus demonstravit, quomodo quis sese regno aptum praestaret (84 ὡς ὄντι ἱκανῷ). Id autem Hercules eo magis praebebat, quod reges cum hellenistici tum Romani saepissime se cum Hercule conferebant (Roscher, Lexicon d. gr. u. röm. Myth. I 2, 2981), cuius cultus apud eos valde florebat. Itaque eum ipsum in quo Trajanus suam imaginem conspicere debebat, proposuit ut regem, non ut deum qualis in fabulis vel alibi occurrit. Huc spectant § 59—63, quibus enarratur Herculem regem fuisse et τῆς γῆς καὶ τῶν ἀνθρώπων σωτῆρα (84), qui titulus Trajani quoque in inscriptionibus invenitur (C. J. G. J. M. A. I 978). Dio quidem cum non ignoraret se in hac fictione a multis discedere, aperte eos refutare studebat, qui Herculem non ut imperatorem describunt, h. e. Cynicos. Quos eam interpretationem temptasse, quam Dio de Herculis pelle et clava commemorat, E. Weber p. 245 et 244 evicit. Num Cynicos etiam in iis intellexerit, qui putant Herculem Eurystheo servivisse (59), non satis constat; nam non perceptum habemus, quomodo illi hanc servitutem explicaverint[1]. Sed licet

Dio hoc loco cum eis consenserit; certe cetera cum eis discrepant. Nam a Cynicis Hercules fingitur orbem permigrasse ἄγρυπνος καὶ λεπτός, ὥςπερ οἱ λέοντες, ὀξὺ βλέπων, ὀξὺ ἀκούων, οὔτε χειμῶνος οὔτε καύματος φροντίζων, οὐδὲν δεόμενος στρωμάτων . ., ἀλλὰ δέρμα ἀμπεχόμενος ῥυπαρόν . . (Dio VIII, 30): sc. non tamquam imperator, sed ea specie atque facie subornatus, qua Cynici qui Herculem suae sectae quasi patronum et conditorem celebrabant (E. Weber 237), praedicantes hominesque docentes urbes perlustrabant. Neque vero talis species et forma quadrabat ad Trajanum, cui regius habitus convenit. Eum praebebat is περὶ Ἡρακλέους λόγος, quem Dionysius Hal. ant. rom. I 41 appellat ἀληθέστερον ᾧ πολλοὶ (itaque usitatus erat) τῶν ἐν ἱστορίας σχήματι τὰς πράξεις αὐτοῦ διηγησαμένων ἐχρήσαντο opposito eo qui dicitur μυθικός (I 40). In quo Herculem ut imperatorem descriptum esse, qui tyrannidas tolleret, regna institueret, bonos mores doceret, totius teneret mundi imperium, ex Dionysii narratione expeditur. Quam interpretationem etsi non licet euhemeristicam appellare (E. Weber 244 sq.), tamen Cynicis minime convenire in aprico est. Sane Dio cum Herculem ut regem orbis terrarum (59), magni exercitus ducem, tyrannorum inimicum, tutorem regum (84) proposuerit, apparet et quantum a Cynicis absit et quam prope ad historicos accedat. Eorum doctrinam excepit, quod ei Trajani exemplum obversabatur. Ceterum ex Cynicis quibus obloquitur, quaedam asservavit, quae ad imaginem boni principis, qua Hercules depingitur, quadrabant, veluti § 61 ἦν δὲ καὶ πεπαιδευμένος ἁπλῶς (E. Weber 239).

Ex his exemplis, quibus is qui in rhetorica et historia rerum versatior est, facile plura adjiciat, manifestum esse videtur Dionem ex conexu suae aetatis solvi non debere. Nam non dubium est, quin et ipsos aequales et eorum prae-

[1]) Eam servitutem, quam apud Omphalen servivisse dicitur, agnoverunt et interpretati sunt, si recte suspicati sumus Cleanth. fr. 514 ad Cynicos (τοὺς παλαιούς) redire; is ne eos quidem labores denegat, quos Eurystheus Herculi imperavit. Sed cf. Dio VIII, 29 et 33, ubi Cynicorum vestigia indagata sunt ab E. Weber 241 et alibi.

cepta philosopha et rhetorica respexerit. Inde suspicio movetur eum praeter Antisthenem omnino fontes recentiores adisse, cuius suspicionis ansa iam supra oblata est. In ea enim orationis primae parte, qua regis mores describuntur, Stoicorum vestigia et in forma et in sententiis patuerunt. Itaque quaeritur, num ea etiam alibi detegi possint.

b) De Stoicorum vestigiis.

Ac primum quidem certa forma a Stoicis saepius adhibita in ipsa ea cuius exordium modo tractavimus de Hercule fabula cognoscitur, qua Dio exponit, quomodo Hercules a Iove ut toti orbi imperaret destinatus per Mercurium ad montem, in quo Basilia et Tyrannis sedebant, perductus illam sibi elegerit, hanc contempserit, ita ut ad regnandum idoneus esse videretur. In cuius fabulae sententias, scenam, personas viri docti tam accurate inquisierunt, ut eis nihil novi addere possim. Apparet Dionem certum fontem secutum esse, quem male exscripsit (Keil Herm. 23 (1888) 354, 2); eum unicum fontem fuisse Joel II 1, 402 magna cum probabilitate suspicatus est; certe Dio non solum Xenophontis illam fabulam Prodiceam (mem. II, 1, 21 sq.) in usum convertit, quoniam huius scena et personae, quarum nonnullae usque ad Hesiodum recedunt, ab eis quas ipse proponit ut numero sic indole satis multum differunt (Capelle, de Cynicorum epistulis, Göttingen 1896, 31 sq., ubi ceteri recensentur qui de hac re egerunt). Fontem Stoicum fuisse illi ex sententiis concluserunt[1]; nostrum erat eundem ex accurata litterarum generum consideratione perspicere.

Quid de forma a Dione adhibita iudicandum sit, egregie efficitur ex ipsius Xenophontis quem multi Dionis fontem fuisse conjecerunt subtiliore comparatione. Discrepantiae quae

---

[1]) Kaerst 73. Capelle 35, 2: Mercurius genius peculiariter Stoicus. Lex est *λόγος ὀρθός* (von Wilamowitz, Reden und Vorträge 1901, 78, 1). cf. etiam § 71 *καθεστηκὸς . . , οὐ μετατρεπόμενον* cum Marc. VI, 30 et Stob. ecl. II, 7, 11 i = 102 W.; 11 m = 108 W. Hercules Antistheneus vix rex mundi erat: Kaerst 31, 1. Etiam Stoici quaerunt quis rex sit *ἱκανός* . . (Mus. 39, 5).

ad formam spectant maxime hae sunt: Virtus et Voluptas ipsae loquuntur, tacent Basilia et Tyrannis. Hae fuse describuntur, illae tantummodo § 22. Virtus Herculem allicit, *προτρέπει*, Basilia minime. Xenophon non commemorat Herculem Virtutem secutum esse; animadvertit illud *προτρέπειν*, *τὴν ὑπ' Ἀρετῆς Ἡρακλέους παίδευσιν* (34), non eius finem et effectum; contra Hercules Dioneus quam bonum se praestiterit exponitur, laudatur, ad finem perducitur oratio. Itaque Dio exhibet descriptionem, Xenophon *λόγον προτρεπτικόν*; Xenophon narrat, Dio describit. Ille ad aliud genus litterarum spectat atque hic, cuius describendi ratio, quae ea erat, ut actus (qui depingi non possunt) fere nunquam, contra semper ea proponerentur, quae oculis offeruntur, ab eo ipso in oratione quarta, ubi eandem artem adhibuit, his notis significatur: ars *δημιουργοῦ* (85), *πλάττειν καὶ ἀφομοιοῦν* (87; cf. 117, 123), *ἀπομιμεῖσθαι ἀνθρωπίνοις εἴδεσιν* (85), addere *εἴδη οἰκεῖα καὶ σημεῖα ἀπὸ τῆς φύσεως* (86, 109), *ἐναντία ἕξις τῆς τῶν φυσιογνωμόνων ἐμπειρίας* (87). Itaque res personificantur earumque figurae (*μορφή* 88) adumbrantur *κατὰ τὸ ἦθος* (117): *βασιλεία* in I, *ἀπάτη* in IV, 114. Quae omnia attinent ad eam describendi rationem, quae appellatur „tabulam verbis depingere" (Aug. de civ. d. V 20). Est autem quaedam ethologia sive characterismus (cf. Dio IV 88); nam in utroque genere signa exteriora certae virtutis sive certi vitii observantur (cf. auct. ad Her. IV, 50, 63 cum Dion. IV, 86 sq.). Quae genera inter se tam similia sunt, ut Dio ea in or. IV confuderit: nam quoniam § 88 praedicavit se non *τὸ ἦθος* sed *τὸν χαρακτῆρα καὶ τὴν μορφὴν* proponere velle, postmodo illud potissimum animadvertit (cf § 126 *εἴη δ' ἂν αὐτοῦ τὸ ἦθος . .*) ita quidem, ut utrumque in priore genio describendo contaminaret, in altero et tertio bene inter se distingueret (*μορφή*: 109 sq. 116 sq.; *ἦθος*: 101 sq. 126 sq.). Apparet igitur ethologiam et tabulam eiusdem artis varias formas esse; quam prope Dio quidem absit a Posidonii characterismis, intellegitur ex § 99 comparata cum Sen. ep. 95, 65. Differunt maxime in eo quod tabula imitatur artem pictoris, ethologia mimographi; Theophrasti *χαρακτῆρες μῖμοι* sunt, Dio-

nis tabula effictio (cf. Dio IV 91 πλάττειν) qua „exprimitur atque effingitur verbis corporis cuiuspiam forma“ (auct. ad Her. IV, 49, 63) sc. κατὰ τὸ ἦθος (cf. II, 40). Dio ipse se confert cum pictoribus (85 sq.) et inter se opponit orationem et artem (87): habes expressis verbis illud „tabulam verbis depingere“. Sic Dionis descriptio πίναξ, εἰκών[1]) (sensu Philostrateo) est, idem characterismus, si non formam sed sententias respicimus.

Iam in aprico est Dionem id genus litterarum secutum esse, quod apud Xenophontem certe non invenitur. Quod aetati recentiori optime convenire constat, qua similes prosopopoeias et allegorias, quae nobis Cebetis tabula repraesentantur, ex Alexandri temporibus usitatas fuisse Capelle 37 sq. declaravit. Itaque manifestum est, Dionem certam formam recentiorem recepisse. Neque dubium est, unde eam repetiverit: Stoicos enim illas tabulas verbis depingendas adamavisse Cic. de fin II, 21, 69 testatur. Itaque cum Stoicorum vestigia in sententiis a Dione propositis dilucida sint, ad eosdem propter formam revocari et potest et debet.

Sed exstant exempla illustriora. Ad religionem enim maxime spectant I 37—47, quibus de imitatione Iovis agitur. Pauca de compositione praemonenda sunt. § 37 et 38 consonant cum LIII, 11,2; quas cum ex commentationibus Homericis exscriptas esse supra adnotatum sit, idem de his, quae ad eundem fontem recedunt, affirmari debet. Duae autem partes discerni possunt: § 37—41 et 42—47, quarum priore agitur de Iovis curae hominum imitatione, altera de imitatione ordinis mundani. Quae partes quamvis multum inter se distare videantur, tamen quin altera ad eundem fontem revocanda sit atque prior non dubium est. Nam primum quidem Dio ipse conexum turbavit, quod et hominis sermonis materiam non diligenter disponentis speciem praebere voluit (sicuti Horatius

[1]) εἰκών, non εἴκασμα, imago, non collatio. Hanc addit in or. IV, ubi genios cum certis personis aut mythicis aut historicis comparat (cf. 113; V, 4). Ut est εἰκών, Dionis descriptio etiam a speculis (εἰκόνες) prope abest; utrumque genus certa ethologiae forma est; utrumque mores emendare et ad virtutem adducere debet (IV, 83)

in sermonibus eodem spectans disputationis unitatem saepius tollere studuit) et rhetorum praeceptum observavit, ut siquid novi afferretur, id ipsum expressis verbis enuntiaretur (Men. apud Speng. rh. gr. III, 372, 14 sq.): quod praeceptum iam Dionis temporibus valuisse inde expeditur, quod a Dione non neglectum est (cf. I § 11, 15, 37, 42, 49, 58). Deinde etiam in altera parte dicit de Iovis imitatione (44); sc. cum Iuppiter ordinem in mundo constituerit et ipse eum servet, is qui ordinem non disturbat, Iovem aemulatur. Sed accedit id, ex quo fons ipse eruitur: nam conexus sententiarum is est, ut si quis mundum imitatur, idem Iovem imitetur, quod mundus deus est. Quod etsi Dio non expresse enuntiavit, tamen necessario subaudiendum est. Hinc enim patet unitas sententiarum, quae bene inter se cohaerent. Itaque concludendum est Dionem ad unum non complures fontes recedere.

Unde § 37 - 47 profluxerint, ex eis quae explanata sunt, iam satis in aprico est: sc. ex Stoicorum commentationibus Homericis; Stoici enim docebant mundum deum esse. Sed id diligentius discutiendum est.

In parte priore Iovem regi pro exemplo esse idcirco contenditur, quod Iuppiter ut pater deorum et hominum omnibus consulit iisque cognominibus appellatur, quae eum ut *ἀγαθῶν αἴτιον* denotant (39). Quod ab Antisthene, qui regem hominum curam habere iubet tamquam pastorem gregis, minime abhorrere nemo negaverit. Sed eadem Stoicis conveniunt, qui quantopere Iovis *πρόνοιαν* laudaverint non opus est exemplis demonstrare. Itaque facile fieri poterat, ut Stoici qui in ratione Homeri interpretandi toti pendent ex Antisthene, ea ipsa exciperent, quae Cynici docuerant. Neque cum Ioelio II 1, 398 ad Antisthenis studium nominum inspiciendorum provocari debet, cum eae quas Dio exhibet Iovis appellationes similes occurrant apud Stoicos (Zeller III, 1³ 640).

Altera pars a priore eo differt, quod eiusmodi praecepta afferuntur, quae non solum ad regem pertineant, sed ex ethica universali repetantur; cf. Dio 43 *ὁμοίως μὲν ἰδιώτης, ὁμοίως δὲ καὶ ἄρχων*; nam quae *ὁ σπουδαῖος*, quae sapiens praestare debet,

etiam regi proposita sunt (cf. supra). Accedit quod rex non id quod Iuppiter agit (*τὴν ἐπιμέλειαν*), sed quod lege sanxit atque instituit (*τὸν τοῦ Διὸς νόμον τε καὶ θεσμόν* 45) imitatur neque Iovem ipsum sibi ante oculos ponit nisi quod mundus deus est. Talibus discriminibus inter utramque partem intercedentibus suspicio movetur eas ab initio conjunctas non fuisse, sc. Stoicos in illa commentatione Homerica priorem ex Antisthene recepisse, alteram de suo addidisse. Nam ea quam Dio exhibet doctrina est *περὶ τῆς τοῦ κόσμου ὁμοιώσεως* (cf. 42); ea breviter sic circumscribi potest: homo cum pars mundi sit, eius consimilis est et in animo suo eandem speciem atque ordinem conspicit, qui in mundo invenitur. Iam hominis est illum ut ita dicam microcosmum servare et providere, ne divinus animi ordo, qui mundi ordini respondet, disturbetur. Quod ita fieri potest, ut mens et ratio affectus aut devincat aut dirigat. Iam eiusmodi placita ab Antisthene magnopere distant. Quem hominem tamquam microcosmum intellexisse nusquam comperimus; immo virtutem in laboribus, non in harmoniae imitatione posuit. Contra omnia quadrant ad Stoicos. Nam doctrinam *περὶ τῆς τοῦ κόσμου ὁμοιώσεως* Stoicam esse Cicero testatur de nat. d. II, 14, 37. Accedit quod Petrus Magister in quinto libro nobis tradito cum ostendit scientiam politicam esse *μίμησιν θεοῦ* (I 297 a, IV 354 a, VI 333 b, XIII 296 a) *τὴν ὁμοίωσιν τοῦ κόσμου* (XIV 296 a) fuse describit et is quidem ex Stoicis fontibus hausisse antea visus est. Pleraque autem Posidonio apta sunt. Is enim docebat hominem mundi, i. e. dei partem esse; itaque dei voluntatem esse hominis, qui deorum consiliis repugnare non debet (Schmekel, die Philosophie der mittleren Stoa 1892, 244) ratione duce, quae totius vitae *ἡγεμονικόν* est (ib. 258 sq.; Heinze, Xenokrates 130 sq.). Iam apparet Dionis doctrinae fundamentum idem esse atque id quod Clem. Al. strom. II, 497 P. in Posidonii ethica perspexit: *ὁ Ποσειδώνιος (τὸ τέλος εἶναι εἶπε) τὸ ζῆν θεωροῦντα τὴν τῶν ὅλων ἀλήθειαν καὶ τάξιν . . κατὰ μηδὲν ἀγόμενον ὑπὸ τοῦ ἀλόγου μέρους τῆς ψυχῆς*. Itaque evictum esse videtur Dionem ad Stoicos revocandum esse. Idem iam

Binder 74 inde conclusit, quod § 42 proxime accedit ad orationem Borystheniticam, quam pleraque Posidoniana exhibere ostendit.

Novum denique argumentum quod cum eis quae modo dicta sunt, cohaeret, afferri potest, ex quo Dionis fabulam quam de Hercule enarrat ad Stoicos recedere verisimile est. Nam non casu factum esse videtur, ut Herculem pro exemplo Trajano offerendo sumeret. Immo cum deum proponeret, allusit ad divinam Caesaris personam et ad eos qui docent regem Iovis vicarium esse in terra (Arnim 331). Cuius doctrinae patet duplex origo: altera repetitur ex historia; principes enim hellenistici ex Ptolemaei Philadelphi temporibus vivi ut dei colebantur, quorum consuetudinem Caesares Romani exceperunt (Kornemann, Klio I 51 sq.). Altera est in philosophia; nam Stoici inde profecti, quod omnia inter se conjuncta et similia esse putabant, docebant civitatem esse imaginem mundi easque quae civitatem regunt leges necessitudinem exhibere cum eis, quibus mundi ordo tenetur (Kaerst 70 sq.). Item regem conferebant cum Iove mundani ordinis tutore sicuti Neopythagoraei (Stob. fl. 48, 61 = II, 261 M.), ita ut rex Iovis vice fungeretur in terra (Prächter, Hierokles 46 sq.). Inde factum est, ut non solum regnum sed etiam rex divinus esset: *ἄρχων εἰκὼν θεοῦ τοῦ πάντα κοσμοῦντος* (Plut mor. 780 E; Fischer 52)[1]. Iam cum ex philosophia ad eundem finem perventum sit atque ex historia, facile explicatu est, quomodo ipsum id placitum tantam vim habuerit, ut usque ad nostram aetatem duraret. Quod Cynici certe minime professi sunt; Diogenes quidem apud Dion. IV 19 sq. Alexandrum illudit se Ammonis filium esse arbitratum.

His qui ad religionem pertinent locis nonnulli adjungi possunt, quibus de aliis rebus praecipue a Stoicis tractatis agitur.

Ac primum quidem III, 42 *ὅμοια δὲ* sq. Dio disserit de

[1]) Hinc novum praeceptum originem duxit: ne rex se hominem esse oblivisceretur: Marc. I 17; Petr. Mag. VII, 299 b; cf. Plin. pan. 2, 4. Plut mor. 823 B *συνανθρωπεῖν*.

discrepantiis quae inter singula genera politica versantur eo adductus, quod antea quomodo rex a tyranno differret exposuerat. Additamentum est neque ex eodem fonte haustum esse videtur, ex quo ea profluxerunt, quae praecedunt, sc. ex Cynicis: id quod ipse Dio indicavit § 42 *ὅμοια δὲ εἰρήκασι . . οἱ μετ' αὐτόν*: sc. Socratem, i. e. Antisthenem. Sane iam neque Socrates loquitur neque dialogus proponitur, sed res simpliciter explicantur forma tractatus adhibita, quae apud Peripateticos et Stoicos vel maxime in usu erat. Ad eos etiam sententiae quadrant; nam et doctrinam illam de tribus generibus politicis potissimum Stoici exaraverunt (Henkel 100 sq.) et eam quae § 49 denotatur rationem exempla ex historia exaggerandi Stoicis convenire ex Ciceronis scriptis expeditur. Profecto hic locus quo de optimo genere politico agitur, saepius tractatus est; occurrit etiam apud Platonem et Aristotelem. Quae Dio cum hoc communia habet (Wegehaupt 52), Stoicis debet, qui non raro Peripateticis fontibus usi sunt. Ad Antisthenem autem etsi multa quadrant, quoniam non alia docuit atque optimus quisque suae aetatis, tamen ne unus quidem locus necessario referendus est (contra Ioel II, 1, 377 8). Singula Stoicorum vestigia perspexit Binder 78[1]).

[1]) Compositio concinna est a § 45 *τρία* usque ad § 50. Antea saepissime occurrunt sententiae interpolatae, ita ut omnino § 43 *λέγεται* — 45 *βασιλέως* pro spuriis habeamus. Haec suspicio propterea probabilis est, quod cum Dio id ageret, ut quid discrimen inter formas politicas intercederet ex nominibus demonstraret, iis quae sequuntur eae regni appellationes afferuntur, quibus non solum nullum discrimen indicatur, sed quae eaedem tyrannidi aptae sunt, veluti definitionem *βασιλεία ἀνυπεύθυνος ἀρχή*, in qua Peripateticorum (Ar. pol. IV, 10 = 1295 a 20) et Stoicorum (Stob. ecl. II 7, 11 m = II 108 W.) doctrina latet, eodem iure cum Herod. III, 80 quis referat ad tyrannidem; neque verbis *ὁ δὲ νόμος βασιλέως δόγμα* quicquam respondet in eis, quae de tyranno proferuntur. Quae omnia ad ea, quae lexica exhibent (veluti et. Gud. v. *βασιλεύς*) proxime accedunt: utroque loco agitur *περὶ ὀνομάτων*. Probior profecto contextus efficitur, si post *πραγμάτων* scribitur *τρία γάρ* sq. Nam in ipsis formis politicis enumerandis maxime nomina observat, id quod proposuit § 42: cf. § 46 *καλουμένη*, 47 *προσαγορευομένη*; tum etiam § 45 *ὀνομάζεται* quod Arnim delevit, bene locum habet, immo apposito *γάρ* quodammodo necessarium est.

Deinde III, 55 τήν τε sq. si quis fontes excutere vult, compositionem perspectum habere debet. Duplicem recensionem subesse primus Arnim 419 sq. vidit, id quod Ioel II 1, 379 sq. prorsus neglexit. Rectius Wegehaupt et Fischer inquisierunt, qui tamen ne ipsi quidem tota ex parte probandi sunt. Quibus non singulatim refutatis liceat proprias de hac re cogitationes simpliciter exponere hoc modo:

Is qui hominibus consulit, labores fert (Xen. mem. II 1, 28; ἡ ἐπιμέλεια quidam πόνος est. Itaque duobus verbis una res exprimitur. Utrumque occurrit apud Dionem: Sol et δουλεύει (75) et ἐπιμελής est (82); gubernator, dux .. ut ii enumerantur. qui et laboribus exercentur et aliis provident. Sed cum πόνος latiorem sensum amplectatur, duae partes inter se bene distinguuntur, ita ut materia sic disponenda esse videatur:

a) 55, 57 fin. (in ed. Arn. s. l.), 75—82. Nam § 57 ad 55 respicere docent verba οὐκ ἀχθόμενον comparata cum 55 οὐδὲ ἄχθεσθαι et post § 74 Fischer recte lacunam statuit. ita ut § 75 cum antecedentibus certe non cohaereat. Dio bonum regem φιλάνθρωπον et ἐπιμελῆ esse eo argumentatur, quod Iovi oboedit (cf. I 45/6) Solemque imitatur. Cuius exemplo cum non illustretur quomodo rex laborum patiens sit (§ 82 (χρὴ) μιμεῖσθαι τὴν ἐκείνου δύναμιν καὶ φιλανθρωπίαν), apparet § 75–82 annectendas esse ad § 57 πάντα ὅσα πράττει, quibus unus conexus sententiarum efficitur, cum non ipsi labores sed cura hominum respiciatur. Iam locus de Sole regis imagine (cf. μιμεῖσθαι 82) apud eos qui de regno scripserunt cum alios tum Stoicos tritissimus est (Fischer 38). Ad Stoicos Dionem redire Binder 78 eruit; sane illa harmoniae descriptio (76), quam compares cum Petr. Mag. 9 et Marc. VI, 11, a Xenophonte abhorret, quem etsi multa similia exhibet (cf. mem. IV, 3), fontem fuisse minime conjiciendum est, cum quantopere apud Stoicos in deliciis fuerit iam non obscurum sit. (Lincke, N. Jahrb. 17 (1906) 673 sq.).

b) Inter § 55 et 57 additamentum inculcatum fortasse ex margine irrepsit, quo quare rex φιλόπονος sit explicatur: ἅτε προσηκούσας αὑτῷ νομίζων τὰς ἐργασίας (P.; Wegehaupt 72, 2).

Qui locus non deest apud alios scriptores: Poll. I 40 ἐνεργός, cf. Dio I 22; Plin. pan. 59, 2; Philostr. vit. Ap. V 36, 4; Petr. 4, 354 a; Stob. fl. 48, 65 = II, 269 M. Maxime ad Stoicos quadrat, sicuti τελεσιουργός (Poll. l. c.); cf. Marc. V 1 γέγονας . . πρὸς ἐνέργειαν. Nam cum rex agendo, non sapientiae proclivis esse iubeatur, patet Stoica illa reprehensio vitae contemplativae (cf. II, 26), in quam modo inquirendum erit.

c) 62—74. Quas quomodo redactor inseruisset recte ostendit Arnim 421 sq. Sicuti in b regis laborum patientia, non hominum cura exponitur; hac in re utraque pars ab a discrepat, ut caveas ne Fischerum secutus § 62 conjungas cum § 55. De eo discrimine quod inter b et c intercedit et de fonte huius partis antea adnotatum est. Quam codicum scriptura ὁρᾷς § 62 et 73 asservata, qua regis morum descriptionis formam iam non continuari indicatur, ex eiusmodi oratione decerptam esse concludas, in qua Dio Trajanum affatus sit; nam tales orationes exstitisse patet ex LXII, 1. Sane in primaria recensione locum non habebat.

Praeter ea quae adhuc observata sunt vestigia Stoicorum obiter commemoranda est singula vox Stoicorum propria, quae occurit III, 128: μακάριος enim cum significet „dives, potens“, eum sensum premit, quem Stoici notioni tribuerunt, quae latine vertitur ‚beatus‘ (Hor. carm. I, 4, 14; serm. II, 8, 1; Sen. ep. 27, 5).

Denique Stoicorum doctrina in altera oratione manifesta est. Eam breviter absolvere licet, quoniam viri docti de fontibus iam accurate inquisiverunt neque oratio ipsa ad diversos fontes recedere videtur.

In eo fonte quem Dio adhibuit, actum erat de rege Homerico; nam ubique ea enarrantur, quae Homerus de regis officiis, studiis, vita iudicavit. Quid bonum principem deceat, ex Homeri interpretatione cognoscitur. Iam eam quae apud Dionem occurrit, Antistheneam esse E. Weber 231 ostendit; nam Homerus non solum virtutis sed etiam vitiorum exempla descripsisse dicitur (44). At eandem interpretationem Stoici professi sunt (R. Weber 162); quos cum in ipsis quas de

Homero conscripserunt commentationibus artissime ex Cynicis pendere constet, saepe certis argumentis disceptari nequit, utrum Dio ad Cynicos an Stoicos fontes recesserit. Sane in altera oratione permulta exstant, quae a Cynicis proxime absunt, quae collegerunt E. Weber 231 sq. et Ioel II 1, 399, quos inspicias [1]. Sed praeter haec inveniuntur multa quae et ad Cynicos et ad Stoicos quadrant; ex quibus unum eligam exemplum: id quod Dio ut rex rhetor sit requirit, neque ab Antisthene neque a Stoicis abhorret, qui uterque rhetoricam docuit [2]. Neque cum Homerum omnium studiorum et vitae praeceptorem esse putaverint, ab eis illa doctrina aliena est, quam secutus Dio rhetorem poetae similem esse contendit (§ 18), ita ut rhetoricae primordia exstent apud Homerum (cf. Quint. I 10, 29; X 1, 46 sq.); siquidem intelligit veram rhetoricam, i. e. cum philosophia conjunctam, et cum Antisthene (Stob. exc. e. ms. Flor. 13, 76 = IV 199 M.) et cum Stoicis (Marc. I, 7; 17; III, 5) consentit. Tamen non desunt ii colores et sententiae, quae tantummodo ex Stoicis manavisse videntur.

Ac primum quidem ut rex iuvenis dialogos conscribat (25), praecipitur apud Marcum (I 6). Deinde ne πρὸς τὸ ἀκριβέστατον philosopharetur primus Aristoteles Alexandro suasit (fr. 647 Rose), id quod Stoicis potissimum placuit, cum Dicaearchi (Plut mor. 796 D) exemplum secuti et Romanorum vi atque ingenio indulgentes vitam activam pluris facerent quam contemplativam, id quod egregie cognoscitur ex Cicerone [3]. Profecto eodem spectat, quod regem ἐνεργὸν esse iubent (cf. quae ad III, 56 adnotata sunt) et a Tacito appellantur secta, quae turbidos et negotiorum appetentes faciat (ann. XIV, 57). Sane similia praecepta de institutione liberorum dederunt, quae Plutarchus in libro „de ed. lib.“, quem ad Stoicos recedere

[1]) cf. etiam § 54 cum D. L. VI, 16 et § 70 cum D. L. VI, 18.

[2]) Stoici rhetoricam numerant in virtutibus politicis: Dyroff 235. cf. Mus. 36, 2 sq. Marc. I 6 Plut. mor. 792 D.

[3]) cf. Plut. mor. 328 A. Ex simili philosophiae interpretatione Plutarchus suae opinionis argumenta repetivit censens Alexandrum philosophum fuisse.

ostendit Dyroff 239 sq., 8 AB his verbis adumbravit; *ὁ δὲ θεωρητικὸς (βίος) τοῦ πρακτικοῦ διαμαρτάνων ἀνωφελής, ὁ δὲ πρακτικὸς ἀμοιρήσας φιλοσοφίας ἄμουσος καὶ πλημμελής. Πειρατέον οὖν εἰς δύναμιν καὶ τὰ κοινὰ πράττειν καὶ τῆς φιλοσοφίας ἀντιλαμβάνεσθαι κατὰ τὸ παρεῖκον τῶν καιρῶν.*

Stoicorum vestigia etiam in extrema orationis parte perspiciuntur, qua Dio tauri imaginem depingit. Nam Stoicis conveniunt, quae de deis explicat (72 sq. Binder 76); cf. § 72 *τοῦ μεγίστου καὶ πρώτου βασιλέως θεοῦ* cum I, 37 et 75 sq. cum I, 45 sq., ubi Stoici fontes indagati sunt. Animadvertas etiam congestum exemplorum ex historia repetitorum in § 77, qualem Stoici adamant. Certe verba *τῶν ὅποι ποτὲ ἀνθρώπων* a Cynicis abhorrere, qui vix regem toti orbi terrarum imperantem ante oculos habebant, antea adnotatum est.

Iam ex eis quae adhuc a viris doctis nobisque exposita sunt, concludi potest Dionem praebere Cynicas sententias eis permixtas, quae Stoicis peculiares sunt. Itaque, cum Stoicorum interpretationem Homericam totam ex Cynicis pendere constet, verisimile est Dionem ex Stoico fonte hausisse. Quae conjectura eis fulcitur, quae R. Weber in dissertatione supra laudata demonstravit. Apparet enim pleraque quae Dio affert, occurrere apud Dioscuridem, cuius libri inscripti *περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ νόμων* fragmenta Athenaeus tradidit. Dioscurides autem exhibet Stoicorum commentationes Homericas maxime cum Peripateticis conjunctas. Patet igitur Stoicos eandem materiam tractavisse, quae in fonte a Dione usurpato tractata erat. Quem ipsum Dioscuridem fuisse R. Weber minus probabiliter conjecit[1]). Nam non pauciores similitudines inter Dionem et Philodemi libellum supra commemoratum intercedere Wegehaupt 49/50 evicit. Constat autem de rege Homerico aetate recentiore saepissime actum esse (Buecheler Rh. M. 42 (1887) 198), ita ut Dioscuridis ille libellus nihil sit nisi unum ex magna copia similium exemplorum (cf. Schwartz PWR v. Diosc. 1129). Accedit, quod admodum exigua fragmenta Dioscuridea

---

[1]) Assentiurt von Wilamowitz Herm. 35 (1900) 543.

exstant, ita ut argumenta a Webero allata minime satisfaciant. Multo ut simplicius sic rectius item de Dione iudicabimus ac de Dioscuride: sc. etiam altera Dionis oratio nihil est nisi exemplum multorum scriptorum eius aetate tritissimorum. Profecto cavendum est, ne eam ad certos fontes revocare studeamus; id tantummodo affirmari potest Dionem ad Stoicos recessisse. Nam eorum scripta Homerica optime novit (LIII, 4/5) et etiam alibi in suum usum convertit (R. Weber 145). Sane orationem ex uno fonte fluxisse, non ex Dionis collectaneis compositam esse (Wegehaupt l. c.) inde apparet, quod Dio fontem artissime secutus esse videtur certa eius disponendi ratione comprobata, ita ut quae § 27 sq. explanavit, iteraret § 55 sq.

Sed restat altera quaestio, quonam modo Dio fonte usus sit; quae a viris doctis aut omnino non aut ita instituta est, ut nobis plane dissentiendum sit.

Arnimio teste (407) Dio sibi proposuit disserere de rege Homerico. At id erat peculiare fontis propositum, non alterius orationis. Nam quid eius fuerit Dio ipse indicat § 1: *λέγεται . . . διαλεχθῆναι περὶ Ὁμήρου*. Itaque exspectamus de ipso Homero neque de regno disputatum iri, id quod vel ex Dionis verbis § 1 concluditur: *οἱ δὲ αὐτοὶ λόγοι οὗτοι σχεδόν τι καὶ περὶ βασιλείας ἦσαν*. Ac revera Dio demonstrare vult Homerum solum regi aptum esse poetam; propterea ut in or. LIII *περὶ Ὁμήρου* eius de regno doctrinam exempli loco exponit, quo eluceat *ὅτι ὠφέλιμα πάντα καὶ χρήσιμα ἔγραψεν* (11), sic eam hoc loco affert, ut Homerum regi ex omnibus poetis eligendum esse evincat. Nam conexus sententiarum hic est: rex studia liberaliora non neglegere debet, veluti Homero auctore rhetoricam exercet; sed quoniam vitam non otiosam degit, ea non *πρὸς τὸ ἀκριβέστατον* colit, sed eligit optimos scriptores. Quos unum Homerum complecti censet (§ 1—33). Id quoniam § 34 sq. Philippi oppositionem refutavit, eis fulcit, quae Homerus de regis officiis adumbravit (§ 44 sq.). Itaque alteram partem argumentandi consilio adjunxit, quam vim facile perspicias ex § 44 et 54. Profecto eodem consilio fontem

usurpavit [1]). Hac enim ratione optime expeditur, quomodo factum sit, ut Dio et § 27 sq. et § 55 sq. de electu poetarum dissereret: nam illa enumeravit, ut illustraret regem optimos poetas eligere debere, haec ut ostenderet Homerum vere regium poetam esse. Ergo altera contentio, altera argumentatio est.

Subest igitur is locus, quem Dio I 1 sq. et III, 133 sq. leviter et ita tetigit, ut multa omitteret, quo agitur de regis otio, studiis, quaeritur in quibus poetis rex *διατρίβει* (§ 1) quique continet censuram auctorum. Nam a plerisque ut rex studiis liberalioribus operam navet praescribitur; Stoicis quidem *ὁ φαῦλος ἄγροικος* erat (Stob. ecl. II, 7, 11 k = 103 W.). Idcirco Caesares Graecorum principum consuetudine excepta (cf. Theokr. XIV, 61: Ptolemaeus *φιλόμουσος*) studiis et ipsi sese dabant et aliorum favebant, veluti Augustus (Suet. Aug. 84), Trajanus (Plin. pan. 47, 1), Hadrianus (Iuv. sat. VII, 1) [2]), qui ipsa hac re differebant a Domitiano, qui ut tyrannus nunquam „aut historiae carminibusve noscendis operam ullam aut stilo vel necessario dedit“ (Suet. Dom. 20). Sed cum regi non omnes poetae conveniant, electu opus est. Jam ex Platonis temporibus saepe varioque modo poetae in censuram vocabantur ita, ut ea ipsa sub diversis scopis institueretur. Plato quidem cum poetas a philosophis coercendos esse censeret, quod horum subtilior est scientia, maxime civium mores emendandos et eruditionem respexit. Eodem consilio Cicero Panaetium secutus (Schmeckel 22₃) Homerum ex urbe quam sibi finxit emisisse videtur (de rep. IV, 5, 5). Stoici quidem qui praesertim docerent *μόνον τὸν σοφὸν . . . ποιητὴν εἶναι* (Stob. II, 7, 5 b 12 = II 67 W.), electum poetarum plerumque referebant ad educationem, veluti Chrysippus scripsit *περὶ τοῦ πῶς δεῖ τῶν ποιημάτων ἀκούειν* (D. L. VII,

[1]) Itaque oratio non accurate inscribitur *περὶ βασιλείας*, qui tamen est mos Dioneus: Arnim 274.

[2]) Fortasse Claudio imperante munus a studiis institutum est. Postea Phrynichus Commodo dedicavit *παραίνεσιν φιλομαθίας*: Phot. bibl. cod. 158 p. 100 b 9 Bekker.

200), quem Plutarchus usurpavit in libro similiter inscripto (Dyroff 305). Sane ex Socratis temporibus acerrime *περὶ παιδείας* disputatum est et a philosophis atque rhetoribus, qui uterque principatum sibi vindicabat, et de institutionis cum ratione tum materia. Aliter res se habet, si electus scriptorum refertur ad artis theoriam, quae a Stoicis et Epicureis tractabatur (Mueller, Gesch. d. Theorie d. Kunst bei den Alten II, 186 sq.) et ad historiam et grammaticam: tum non omnes Platoni assensos esse constat ex Procl. in Plat. Tim. p. 28 C *μάτην οὖν φληναφοῦσι Καλλίμαχος καὶ Δοῦρις ὡς Πλάτωνος οὐκ ὄντος ἱκανοῦ κρίνειν ποιητάς*. Denique scriptorum electus invenitur apud rhetores, qui in universum non sententiarum sed dicendi generis rationem habent, qua in re non opus est diutius morari. Apparet autem ex tali diversitate argumentorum in recensendis auctoribus adhibitorum varios canones exstitisse, prout aut ex ethica aut ex rhetorica aut ex alia quadam disciplina repeterentur. Jam quaeritur, qui scopus Dioni obversatus sit.

De rhetorica aut grammatica cogitari nequit. Contra ad institutionem spectare videtur § 65 *πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα ἔχοι τις ἂν εἰπεῖν παρ' Ὁμήρῳ παιδεύματα καὶ διδάγματα ἀνδρεῖα καὶ βασιλικά*: sc. non ad institutionem universalem, sed ad eam, quae regi necessaria est. At haec verba et magis ad fontem pertinent neque proprio sensu accipienda sunt, siquidem rex cui Homerica de regno doctrina aute oculos monstratur, iam non puer est. Certe ea, quae Dio ipse explicat, non tam ad locum *περὶ παιδείας* quam ad locum *περὶ ἐπιτηδευμάτων* quadrant. Is autem Stoicorum proprius est, quem amplecti volebant *φιλομουσίαν καὶ φιλογραμματίαν καὶ φιλιππίαν καὶ φιλοκυνηγίαν* (cf. Dio III, 133 sq.) *καὶ καθόλου ἐγκυκλίους λεγομένας τέχνας* (Stob. ecl. II, 7, 5 b 11=67 W.) docentes sapientem solum *φιλόμουσον καὶ φιλογράμματον* esse (ib.), quia non ignorat in quibus artibus et litteris se versari deceat, h. e. quia eligere scit. Eadem autem quae de sapiente dicuntur, valent de rege, qui et ipse perfectus homo esse debet (cf. ad I 15 sq.). Rex igitur, sicuti sapiens, elegans est, quoniam

quid deceat perceptum habet. Jam quod decet Stoici *πρέπον* appellant, Cicero vertit decorum. Itaque, rex si vere *φιλόμουσος* esse vult, decorum observare debet. Eius rationem Alexander habet dicens: *δοκεῖ μοι, ὦ πάτερ, οὐ πᾶσα ποίησις βασιλεῖ πρέπειν* (3) vel *οὐδέ γε ᾄδειν τὰ Σαπφοῦς ἢ Ἀνακρέοντος . . . πρέπον ἂν εἴη τοῖς βασιλεῦσιν* (28). Itaque in Homero eligendo Dio eum scopum tenuit, qui in Stoicorum ethica occurrit [1]).

Ea enim quae ad decorum spectant praecepta fuse descripsit Cic. de off. I 27, 93 sq., quem ad Panaetium recedere Schmekel 18 sq. ostendit. Cicero duas hominis personas inter se distinguit (30, 107 sq.): altera humana est atque omnium communis; ea homines secernuntur a bestiis. Altera suae cuiusque hominis naturae propria est; ea homines inter se disjunguntur. Inde et varia officia cognoscas ita, ut et universa et peculiaris natura formanda sit, et varias vias, quibus ad utrumque pervenitur. Nam quod attinet ad prius praeceptum, in aprico est id quod decet maxime definiri ex ethica universali. Contra si certus homo respicitur, ea non sufficit sane non debet neglegi, cum quodammodo antecedat, sicut genus singulis. Id facile intellegitur ex Dione, qui ipsa hac re testatur, quam prope a Stoicis absit. Nam Hesiodus neque rejicitur, quod mores depravantur, si quis eum legit, neque Alexandro ut homini displicet, at ut regi, quod non in usum principum, sed pastorum et agricolarum scripsit (§ 8). Itaque magni momenti est perspicere, quid ipse Dio iudicaverit. Dicit autem § 31: *ὡς οὐδέποτε ἐκλανθάνεσθαι δέον τῆς ἀρετῆς . . . τὸν γενναῖον ἄνδρα καὶ βασιλικόν*: id sane spectat ad id decorum, quod omnes sequi debent; sed pergit *ἀλλ᾽ ἀεὶ*

---

1) Constat *τὸ πρέπον* ante Stoicorum recentiorum aetatem in ethica partes non egisse; certe ab Arist. in eth. Eud. III = 1233b 7 tantummodo obiter commemoratur. Contra magnam vim habet in eius rhetorica (III, 7) Itaque suspicio movetur illam notionem, quae in rhetorica prius usitata erat quam in ethica, in hanc ipsam irrepsisse ex illa; unde haud scio an multae illae vitae cum arte comparationes profluxerint. cf. Cic. de off. I 31, 114: ergo histrio hoc (decorum) videbit in scena, non videbit sapiens vir in vita? Multos locos collegit Helm, Lukian und Menipp 1906, 48 sq.

διατελεῖν ἢ πράττοντα αὐτὸν μέγα τι καὶ θαυμαστὸν ἢ μεμνημένον τῶν ὁμοίων: ita ut Hesiodus pro regis dignitate humilior sit et improbetur, quia secundae illi rationi non satisfacit.

Accedit alterum. Dio ea enarrat, quae Homero teste regem decent, qui domorum ornatus, qui victus, vestitus, musica, cantus, precatio[1]). Quae omnia respiciens ait: *ἐμοὶ μὲν οὖν, ὦ πάτερ, ἱκανώτατος σωφρονιστὴς Ὅμηρος* (§ 54). Itaque *πρέπον* ei nihil aliud significat atque *σωφροσύνη*. Haec autem Panaetii opinio est (Cic. 27, 93). Adde quod Cicero cum de temperantia agit, praecepta de vestimentis, munditia . . dat (36, 130/1) sc. in ea parte, quae est *περὶ κοσμιότητος* (Schmekel 43), de qua Stoici haec docent: *τῇ δὲ σωφροσύνῃ (ὑποτάττεσθαι) εὐταξίαν, κοσμιότητα* (Stob. ecl. II, 7, 5 b 2 = II 60 W.). Unde apparet ea quoque, quae Dio exponit, Stoicorum ethicae bene inseri posse. Neque quoniam observatio illa pertinet ad fontem a Dione tractatum, quem Stoicum fuisse etiam hinc evictum est, quid de proposito ipso quod Dio sibi sumpsit colligendum sit, in medio relinquitur. In quo agi *περὶ ἐπιτηδευμάτων* supra commemoratum est. Jam idem locus occurrit postea, ubi quam musicam et poesin Homerus regem decere putaverit explicatur (55 sq.). Itaque inter priorem et alteram orationis partem eadem ratio intercedit atque inter partem et totum: locus *περὶ ἐπιτηδευμάτων* est pars disciplinae *περὶ τοῦ πρέποντος*, i. e. *περὶ σωφροσύνης*. Habes igitur unum totius orationis conexum sententiarum, quem Stoicum esse nemo negaverit.

Id autem, quod Dio Homerum eligendum esse censet, vix opus est demonstrare quonam referendum sit. Primus enim

[1]) In extrema parte, qua tauri imago describitur (65 sq.), non iam agitur de eo quod decet. Itaque suspicio movetur Dionem eam non eidem fonti debere. Etiam R. Weber 166 negat Dioscuridem eam Dioni praebuisse. cf. etiam quantopere forma exterior distet ab antecedentibus, in quibus saepissime versus Homerici inseruntur, cum his paragraphis una oratio contineatur ita, ut ad ea, quae Homerus docuit, nisi initio non provocetur. Sane hanc quoque partem Stoici subministraverunt.

Antisthenes Homerum optimum vitae praeceptorem enuntiavit ceteris poetis rejectis, qua in re Isocrati repugnavit (PWR 2540/1). In Homeri autem veneratione Cynici Stoicos aemulos habebant artissime sequentes. Itaque ne hac quidem in re Dionis propositum a Stoicorum doctrina abhorret[1]).

Ex eis quae adhuc exposuimus sequitur Dionem non raro fontes Stoicos adiisse. Restat oratio quarta, quam ne ipsam quidem totam ad veteres Cynicos quadrare demonstrandum erit[2]).

c) De Cynicorum recentiorum vestigiis.

In quarta oratione, qua quomodo Diogenes Alexandrum castigaverit enarratur, multa Cynica occurrere iam ab aliis (veluti ab E. Webero 159 sq.) evictum est. Pauca addenda sunt. Patet ratio genuine Cynica non res exteriores sed virtutem solam magni aestimandi; nam neque regnum potentia est, id quod Alexander putabat (51) et Iovis filius is appellatur, qui virtutem exercet (21, cf. II, 78). Hac in re or. IV cum priore orationis III parte consonat, in qua Cynicos fontes subesse antea elucebat: cf. IV, 17/8 = III, 1; IV, 25 = III, 41. Deinde maxime Cynici pugnabant contra τῦφον et δόξαν (Capelle 20, 1), sicuti Diogenes Alexandri τῦφον illudit (72). Hic νόθος est (19 sq.): ad Cynicorum δυσγένειαν adnotavit Capelle 42, 3. Regis σημεῖον arma esse Dio (61 sq.) negat cum Cynicis (Fischer 38, 1). Ad § 70 cf. Epict. diss. III,

[1]) Adnotare operae pretium est Dionem in priore parte eundem scriptorem ante oculos habuisse atque is qui certamen illud Hesiodi et Homeri Hadriano imperante composuit (Bethe PWR v. ἀγὼν Ὁμήρου καὶ Ἡσιόδου 867). Inde etiam id quod τὰ περὶ τὸν σπόρον inculcavit, quae ad ipsum propositum (Homerus regius poeta) nihil attinent, repeti debet; nam versus § 9 laudati occurrunt cert. 173 sq. Dio autem eo magis ad illud opus, quod tum non ignotum fuisse videtur, alludere debebat, quod in eo rex ipse invitis Graecis Hesiodo impertit coronam, ita ut eum quasi pro regio poeta accipiat.

[2]) § 82—139 quoniam ad doctrinam περὶ βασιλείας non pertinent omittere liceat. Stoicorum vestigia et in forma et in sententiis supra indagata sunt.

22, 19 sq. Denique ad Cynicorum de regis institutione philosophica doctrinam quadrat, quod omnino Diogenes Alexandrum docet[1]).

Iam oritur quaestio intricatissima, undenam Dio tales sententias Cynicas hauserit. Nam primum quidem plerumque deest forma illa Antisthenea, de qua supra locuti sumus; deinde eas quas iam veteres profitebantur, magna ex parte exceptas esse a recentioribus perspicuum est. Itaque si recte contendimus Dionem non totum ad Cynicos vetustiores revo-

---

[1]) Hic locus saepissime tractatus est; nam regem a philosopho instituendum esse omnes Socratici censebant. Sic Alcibiades docetur a Socrate (Plat.), Alexander a Brahmanis (Onesicr.) et ab Aristotele (Dio II, 79), Antigonus a Persaeo, Ptolemaeus ab Iudaeis (Aristeas), Nero a Seneca (Octavia), rex Syriae a Musonio (Mus. 32, 4), Marcus ab Epicteto. Plutarchus scripsit ad principem ineruditum, Theophr. *περὶ παιδείας βασιλέως* (D. L. V, 42). Solus Philostr. vit. Ap. V 36, 1 *βασιλείαν ἀδίδακτον εἶναι* existimavit. Itaque rex philosophiae studiosus, *φιλομαθής* est: Dio II, 26; Ar. 239, 286; Diog. ep. 40, 5; Plat. ep. 13 init; Mus. *ὅτι φιλοσοφητέον καὶ τοῖς βασιλεῦσιν*; Marc. VI, 12; Phil. vit. Ap. V 37, 1; Stob. ecl. II, 7, 11 k = 104 W.; Petr. Mag. V 354 a. Augustus ipse scripsit adhortationes ad philosophiam (Suet. Aug. 85). Apollonius *ἀπῄει ὡς ἐπὶ παιδείᾳ τῷ βασιλεῖ συνεσόμενος* (Luc. Demon. 31); institutio est locus *τῶν λόγων βασιλικῶν* (Men. rhet. gr. III, 415, 27). Causam quare rex institutus esse debeat affert Mus. 32, 11 sq. (cf. 37, 5 sq.). Anaxarchus erat exemplar philosophi reges male educantis (Arr. IV, 9, 7 sq.; Plut. Al. 52). Per regem qui bene institutus est etiam subditorum mores meliores fiunt: D. L. VII, 7; Plut. mor. 776 D sq. et Philop. 1, 5. Eundem locum Dio III, 5 sq. tractavit: rex *αἴτιος εὐδαιμονίας* non ut pastor, sed ut philosophus (Them. VI, 72 A). cf. Philod. fr. 3; Sall. ad Caes. de rep. or I 5; Cic. de rep. II, 42, 69 et V, 6, 8; Plin. pan. 42, 3; 45, 1 = Sall. l. c.; principum disciplinam vulgus excipit (cf. Cic de rep. I 31, 47 = Isocr. II, 31); de vi exempli Plat. resp. 500 C; cf. Stoicorum illud *ὁμοιοῦν*; Sen. de clem. II, 2, 1; Mus. 34, 13; Luc. Phal I, 2; et. Gud v. *βασιλεύς*; Epict. III, 4, 5; 7, 33; Poll. I 41 *παιδευτικός*, cf. Dio LVIII, 8 et Plut. mor. 828 C; Marc. XI, 18; Petr. Mag. IX, 295 a; Dio IV, 124 *ῥυθμίζειν* (cf. Phil. vit. Ap. V 36, 3) ubi Stoicorum vestigia in aprico sunt: Petr. Mag. V 12; Marc. VI, 11. Haec igitur praecepta Augustus cum tanto studio mores Romanorum emendare vellet secutus est ut vere Stoicorum alumnus. Trajanus simile sibi proposuit (Plin. pan. 53, 1), ita ut Dio in or. III ad certum scopum spectare videatur.

candum esse, eum aut in forma aut in sententiis novis additis ab eis differe eruamus necesse est.

Dionis narrationis acumen in eo versatur, ut quantum Diogenes Alexandro superior fuerit eluceat. Alexander puer est, *φιλόδοξος*, insciens, affectibus agitatus, cum quo quasi ludit Diogenes. Is Alexandro honorem non tribuit (14); convicia ei ingerit (19), minime eum timet (59) sed calumniatur (70). Sic tota fabula in honorem Diogenis excogitata est; vides contrarium illud inter regnum et philosophiam intercedens sic, ut haec repraesentata sit Diogênis, illud Alexandri persona. Alexander cum sit rex, contemnitur atque victus discedit comparatus cum philosopho. Itaque sub or. IV latere quandam offensionem regni omnisque potentiae neminem fugit. Accedit, quam multas similitudines exhibet cum or. VI (E. Weber 95), quod alii quoque appellaverunt „antimonarchisch“ (Arnim 262).

Iam inde quod Diogenes introducitur, fortasse aliquis concludat revera Diogenis philosophiam ad Dionem pervenisse. Et sane omnes viri docti in eo consentiunt, quod Diogenem vehementissimum regum castigatorem fuisse arbitrantur. Nam cum vetustiora testimonia desint, ea quae apud Cynicos recentiores veluti Dionem et Lucianum leguntur, transferunt ad Diogenem (sic E. Weber 92; Kaerst 32; Hoffmann 8). Sed eos in hac re erravisse hoc modo demonstrare in animo habemus.

Antisthenes in sua de regno doctrina id potissimum observavit, ut verum sensum notionis *βασιλεύς* erueret. Idcirco duo illa vocabula *βασιλεύς* et *τύραννος* inter se disjunxit atque determinavit. Iam is quem *τύραννος* apud Socraticos premebat sensus (sc. mali principis) etiam postea valebat, ubi vernacula de regno disciplina tractabatur. Veluti tyrannis appellatur *ἱερὰ νόσος* (Diog. ep. 29, 4), tyrannus crudelis, insciens (Phal. ep. 57); in tyrannos convicia effundere apud rhetores Latinos usitatum erat (cf. ad or. I), quorum similia studia et exercitia maxime ex Luciano cognoscuntur (*τυραννοκτόνος*; *κατάπλους ἢ τύραννος*). Sane non est operae pretium uberrimam copiam exemplorum enumerare. Ergo in doctrina *περὶ βασιλείας*

Antisthenes regem et tyrannum inter se comparavit. Praeterea tyrannus occurrit in eius ethica universali et quidem hoc loco non regi contra ponitur sed sapienti Cynico. Cuius oppositionis exemplar exstat apud Xen. conv. IV, 34 sq., ubi Antisthenes verba facit. Tyranni quamvis undique divitias atque opes cogant, tamen Antisthene qui in summa paupertate summas divitias in animo possidet, beatiores esse negantur. Simili modo quaerit Plat. Theaet. 175 C εἰ βασιλεὺς εὐδαίμων κεκτημένος τ' αὖ πολὺ χρυσίον et Euripides quem ex sophistis pendere supra commemoravimus, tyrannum comparat cum homine privato (Ion. 621 sq.) sicuti Xenophon in Hierone. Itaque ne haec quidem quaestio, quam etiam Aristoteles instituit locutus de eis, ὅσοι τε τὸν τυραννικὸν βίον μάλιστα τιμῶσιν (pol. VII, 2 = 1324 a 10), Antisthenis propria fuisse videtur. Docebat autem haec: is beatus est, qui laborem exercet. Itaque non tyrannus voluptates captans beatus dicitur, sed homo sapiens. Is vere liber est, cum ille ἀνόητος libidini serviat. Itaque philosophus etiam vere potens, vere rex est[1]).

Haec conclusio accuratius consideranda est. Antisthenem verum regem philosophum enuntiasse omnes viri docti concedunt. Sed omnes illam conclusionem non ad ethicam, sed ad doctrinam περὶ βασιλείας pertinere sibi persuaserunt. Qua opinione comprobata omnino non intellegitur, quid alterum discrimen, quod Antisthenes non inter regem et philosophum, sed inter regem et tyrannum constituit, sibi velit. Tum enim si disputationem usque ad finem perduxeris, illis necesse erit contendere Antisthenem omnino genus regale rejecisse. Attamen neque commoda vitae politicae ignorat (Stob. fl. 45, 28 = II, 203 M.) et scripsit περὶ βασιλείας Cyrumque, non Cynicum aliquem regem finxit. Immo habes quodammodo duos reges: alter quod virtute praeter ceteros excellit omnibusque consulit, regit nationem quae hanc terram incolit; alter temperat animos hominum quod solus liber est; alterius imperium versatur in terra, alterius in divino quodam regno Jovis, quod Antisthenes in-

[1]) De Ant. libro κύριος ἢ κατάσκοποι Norden Jahrb. suppl. 19 (1893) 373 sq.

tellexit docens *τὸν σοφὸν οὐ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους πολιτεύσεσθαι, ἀλλὰ κατὰ τὸν τῆς ἀρετῆς* (D. L. VI, 11). Has duas partes, quarum altera spectat ad vitam, altera ad philosophiam, quarum altera civitatem ponit, altera tollit, in Antisthenis disciplina conjunctas fuisse ex eis quae adhuc explanata sunt, non debet negari; quas eos non satis accurate discernere patet, qui veteres Cynicos reipublicae regnique castigatores appellant. Xenophon quidem in Hierone minime regnum perstrinxit; immo Simonides Hieroni suadet, quomodo imperium suum sustentare possit. Ne apud Stoicos quidem deest utraque pars (Kaerst 67 sq.); nam et rempublicam bonum esse docent (*πόλις ἀστεῖον* Stob. ecl. II, 7, 11 i = 103 W.) sapientemque iubent civis officia praestare (D. L. VII, 121; Stob. ecl. II, 7, 11 b = 94 W.; Epict. II, 23, 38) et philosophum ne vitam civilem acquirat hortantur (Zeller III, 1³, 294 sq.; Bonhöffer, die Ethik des Stoikers Epiktet 1894, 92 sq.). Profecto quam bene utrumque inter se conjungi possit discitur ex Marc. VI, 44 *πόλις καὶ πατρὶς ὡς μὲν Ἀντωνίνῳ μοι ἡ Ῥώμη, ὡς δὲ ἀνθρώπῳ ὁ κόσμος.* Eandem speciem Diogenes prae se fert; nam etsi sese *κοσμοπολίτην* profitetur (D. L. VI, 63), tamen civitatem non improbavit, immo legem et politiam *ἀστεῖον* esse contendit (D. L. VI, 72), monarchiam laudavit (Gomperz, griech. Denker II, 131). Profecto is qui in eodem gymnasio scholas habebat, in quo Philippus rex colebatur (Göttling, ges. Abh. aus dem Klass. Altertum II [1863], 170), civitatis regnique castigator esse non debebat, id quod ipse expressis verbis negavit (Wessely, Festschrift für Gomperz 69 col. II, 17).

Huic opinioni obstare videtur fabula illa de Diogene et Alexandro notissima: sc. si eam tali sensu accipis, quali Hoffmann 12 sq. eam interpretatus est. Et quidem cum ipse concedat in ea fere omnia posita esse quae de Cynicorum de Alexandro iudiciis novimus, apparet quanti momenti sit eam accurate explicari. Iam quae Hoffmann exposuit, Plutarchi i. e. scriptoris admodum recentis sententiae sunt. Sed haud dubie rectius vetustissimus fons (Cic. tusc. V 32, 92) explorari debebat, quoniam Plutarchus a rhetoribus stat (Hoffmann 87 sq.), qui

sane historiam et veritatem non curabant, et quoniam ei satis magnum discrimen intercedit cum Cicerone. Nam apud Plutarchum Diogenes similibus coloribus depingitur atque apud Dionem; utroque loco Diogenes triumphatur de Alexandro, philosophia de regno. Nihil eiusmodi apud Ciceronem, qui illam fabulam affert ut demonstret, quam continens Diogenes fuerit: „at vero Diogenes liberius, ut Cynicus, Alexandro roganti, ut diceret si quid opus esset, nunc quidem paullulum inquit a sole“ addito „et hic quidem disputare solebat quanto regem Persarum vita fortunaque superaret“ (cf. Sen. de ben. V 4, 3; Dio VI, 7). Itaque in vetustissima quae nobis tradita est fabulae forma agitur *περὶ εὐδαιμονίας*, non *περὶ βασιλείας* neque fabula ad doctrinam politicam sed ad ethicam spectasse videtur. Ex ea igitur Diogenem Alexandrum ut regem offendisse minime concluditur, id quod vel ex Simonidis Xenophontei exemplo in aprico est, qui ne ipse quidem Hieronis imperium contempsit. Nam non inutilitas regni, sed sapientis temperantia illustratur. Ergo cum non negari debeat fabulam sic acceptam optime eis sententiis inseri posse, quas antea explicavimus, certum est Ciceroni maiorem fidem habendam esse quam Plutarcho, praesertim cum multo vetustior sit. Accedit, quod eandem interpretationem D. L. VI, 38 et Arr. anab. VII, 2, 1 exhibent, unde Diogenem Alexandri regis contemptorem fuisse minime colligitur. Itaque cum res sic se habeat, ut Diogenes Alexandro se superiorem sentiret quod attinet ad beatitudinem, tamen eum Alexandri regnum despexisse nequaquam traditum sit, causa non perspicitur, quare Schwartzio non assentiamur docenti veteres Cynicos Alexandrum praedicasse, quod imperium fere orbis tum noti instituisset Graecosque cum barbaris conjunxisset (Rh. M. 40 [1885] 252). Sane Eratosthenes qui Aristonem magis Cynicum quam Stoicum plurimi aestimabat (cf. Ath. VII, 281 C) et Onesicritus Diogenis alumnus (Plut. mor. 331 E; Schwartz l. c.) Alexandrum celebraverunt [1]. Neque

[1]) Hoffmann 9 sq., ostendere studet Onesicritum non genuinum Cynicum se praebere. Sed ea, quae affert, non pertinent ad disciplinam

vero obscurum est unde illa diversa opinio orta sit: sc. inde, quod Cynicorum recentiorum placita transferebantur ad veteres Cynicos. Constat autem illos omni genere politico rejecto id quod in animo nititur regnum solum probasse, ita ut tantummodo alteram illarum quas in politica philosophia Cynica supra observavimus sententiarum laudarent[1]). Inde factum est, ut genuina disciplina *περὶ βασιλείας* ab eis omnino desereretur neque tam regem cum tyranno conferrent quam cum philosopho. Sub tali conspectu reputantibus omnes reges tyranni erant (Hoffmann 8/9) neque notio *βασιλεύς*, nisi ad tyrannos pertinebat, politicum sed ethicum sensum exhibebat, sc. adhibebatur ad philosophum regnantem in Iovis imperio.

Antisthenes enim tyrannos comparabat cum sapiente Cynico qui in paupertate ac labore, tamen summa libertate vitam degit. Tyranni igitur ei beati non erant, erant sapientes et reges, quod labores exercent. Itaque duae illae partes accurate inter se distinguuntur. Contra Cynici recentiores non solum tyrannos sed etiam reges philosopho opponunt ita, ut reges et tyranni divitissimorum hominum exempla sint. Hoc sensu et Crates in ep. VII divites tyrannos appellat et Dio IV 10 voces *βασιλεία* et *πλοῦτος* una enuntiatas obsistit *τῇ πενίᾳ*. Inde multae illae *συγκρίσεις* originem duxerunt, quae instituuntur inter Irum et Croesum (Dio LXVI, 20), Anacharsidem et Croesum (An. ep. IX et X), Irum et Agamemnonem (Luc. Char. 22), mulum et Alexandrum (Marc. VI, 24), ipsum Diogenem (*φυγάδα*: Dio IV, 1) et Alexandrum qui *πάντων ἐπιθυμεῖ* (Diog. ep. 33, 3). Agamemno quem Antisthenes Homerum secutus vere regem esse existimavit (Duemmler Kl. Schr. I 147), ut is proponitur, qui veram beatitudinem nescit (Epict. III, 22, 30 sq.). Alcinous, Xerxes, Croesus, Alexander

politicam, a qua Onesicritum discrepasse demonstrare debebat. Sane si quis historiam et fabulas enarrat, multa immiscet; cf. Xen. inst. C. Ceterum cum fundamentum non probandum sit (quoniam Diogenem Alexandrum regem castigasse pro certo sumat), aedificium in eo exstructum concidit.

[1]) Epict. III, 22, 83 (cf. Bonhöffer 94): Cynicus solus liber est officiis politicis ac civilibus, non Stoicus.

exempla divitissimorum hominum sunt (Helm 55), quibus Cynici utuntur ad demonstrandum, quantulum ad beatitudinem intersit divesne sis necne. Nam ostendere volunt, quomodo quis *εὐδαίμων* sit (Epict. l. c. 23 sq.), cum plebem videant invidentem regum beatitudini *λεγομένῃ* (Dio VI, 7). Idcirco negant *εὐδαιμονίαν* esse in imperio (Ep. 30; Ceb. tab. VIII, 3); immo censent imperium esse sollicitudinum plenum (Luc. Char. 18; somn. 24). Afferunt aequam illam necessitatis legem, cui regum pueri non minus subjecti sunt quam pauperes (Hor. carm. II, 18, 34), quae insignes et imos sortitur (ib. III, 1, 14), et fortunam, quae facile summa imperia subvertit (cf. Lucr. V 1136 sq.; Schütze 47 sq.). Monent igitur, ne potentia affectetur, quae tam fragilis est. Ea regibus et tyrannis repraesentatur, qui unam speciem prae se ferunt. Profecto Cynicos recentiores vocem *βασιλεύς* ubi eam politice adhibebant, saepissime item ac *τύραννος* intellexisse his exemplis evincitur: Teles p. 32, 13 Hense; Ps. call. III, 6, 6; Epict. III, 22, 30; Luc. somn. 24 [1]). Cuius rei vel exterior causa perspicitur in eo, quod principes hellenistici titulum *βασιλεύς*, quem longe praestare ducebant (Plut. mor. 823 C sq.), sibi tribuerunt non propter virtutem, sed propter potentiam (Diod. XX, 53, 2 sq.; cf. 54, 1 *Ἀγαθοκλῆς . . νομίζων μήτε δυνάμεσι μήτε χώρᾳ μήτε τοῖς πραχθεῖσι λείπεσθαι τούτων* (Antigoni, Demetrii, Ptolemaei . .) *ἑαυτὸν ἀνηγόρευσε βασιλέα*), qua ne ipsa quidem in re cum Antisthene consentiebant.

Inde ortae sunt multae illae offensiones non solum tyrannorum, sed etiam regum. Quae egregie intelliguntur ex eo, quod sapiens ne regum societatem ineat monetur. Si epistula, quam Antisthenes ad Aristippum scripsisse dicitur, genuina est, Antisthenes sapientem tyrannorum amicum esse negavit

[1]) Inde factum est, ut neque Seneca duas illas notiones inter se distingueret (de clem. I 12, 1) et ipsum nomen *βασιλεύς* tum invisum esset (Eur. ep. IV, 4). Propterea etiam *μόναρχος* dicitur: Dio VI, 43; Phil. vit. Ap. V, 33, 2. Tum Sophoclis tragoediae titulus *Οἰδίπους τύραννος* inditum est. Horatius „tyrannus“ utitur pro „dominus, arbiter“ (carm. II, 17, 19; III, 17, 9).

(Socr. ep VIII; cf. ep. XI). Id sane cohaeret cum eius tyrannorum odio neque aliter accipiendum esse videtur, quod Socratem Archelai invitationem repudiantem fecit, si omnino fecit (Duemmler Acad. 8 sq.); nam regum consuetudinem sapientibus non abjudicavit. Plato quidem tyrannorum societate poetas corrumpi docet resp. 568 C, sed ipse Dionysii quem pro tyranno non habebat, aulam non contempsit. Contra recentiores omnino principum familiaritatem abjiciunt; cf. Plut. mor. 776 C *ἡμεῖς δὲ φευξούμεθα τοῖς δυνατοῖς καὶ ἡγεμονικοῖς ὥσπερ ἀγρίοις καὶ ἀνημέροις γίγνεσθαι συνήθεις.* Cynici regis divitias contemnunt (Diog. ep. 4), nesciunt *τὰς Διονυσίου θύρας θεραπεύειν* (ep. 32, 3), beatius vivunt quam Aristippus qui aureis vinculis tenetur (ib. 2) et quam bonus labor sit obliviscitur *διὰ τὰς Σικελικὰς τραπέζας* (ib. 1; cf. ep. 46; D. L. VI, 46). Regum amicos derident (Luc. paras. 52) et eos qui affectant *δύναμιν ἐν αὐλαῖς* (Plut. mor. 465 A), qui *ἀξιοῦσιν ἰσχυροὶ εἶναι καὶ φίλοι βασιλέων καὶ πόλεων ἄρχοντες* (ib. 471 E). Itaque Marcellinus cum philosophos illudere velit, „ostendet alium in adulterio alium in popina alium in aula“ (Sen. ep. 29, 5). Hic locus sane saepius tractabatur neque deerant, qui contradicerent; veluti Hor. ep. I 17 Aristippum Diogeni praefert honesti (*τοῦ πρέποντος*) ratione habita[1]). Stoici quidem non solum negabant; immo docebant sapientem regum consuetudinem non fugere (Stob. ecl. II, 7, 11 m = 111 W.), quod praeceptum eos ipsos secutos esse antea commemoravimus. Sane Plutarchum in libro *περὶ τοῦ ὅτι μάλιστα τοῖς ἡγεμόσι δεῖ τὸν φιλόσοφον διαλέγεσθαι*, id quod inde argumentatur, quod sapiens cum regem instituit, totius nationis praeceptor est, plane Stoicorum vestigia premere vel primo obtutu in aprico est[2]).

Iam patet Cynicos recentiores ea inter se commiscuisse, quae veteres accurate distinxerant. Hi tyrannos comparave-

---

[1]) Certe Horatius quoque eam Diogenis imaginem depingit, quam Cynici recentiores ei subministrabant.

[2]) *προαιρέσεις* 776 C; *πάθος λόγῳ δυσπειθές, ὁρμή* 777 C. Alludit ad Panaetium et Posidonium 777 A sq.

rant aut cum rege aut cum sapiente. Utrumque, et regem et sapientem, laudabant, quorum alter in terra, alter in Iovis imperio regnabat. Iam Cynicis recentioribus rex in tyranni locum successit ita, ut regem ipsum sapienti contra ponerent. Inde factum est, ut omni genere politico rejecto tantummodo id „regnum“ probarent, quod in animis versatur.

Nam is qui non voluptatibus servit sed labores exercet, vivit *ἐλεύθερος, ἄρχων καὶ οὐκ ἀρχόμενος* (Diog. ep. 39, 4) regisque filium increpat: *σοὶ μὲν αὐλοὶ καὶ βαλάντια, ἐμοὶ δὲ βέλη καὶ τόξα· διὸ εἰκότως σὺ μὲν δοῦλος, ἐγὼ δὲ ἐλεύθερος* (Anachars. ep. VI). Diogenes quidem qualis a recentioribus fingitur, se mendicare dicit *„ἵνα . . περιέλθω ἐλεύθερος ὑπὸ τὸν Δία πατέρα ἐπὶ ὅλης γῆς μηδένα φοβούμενος τῶν μεγάλων δυναστῶν* (ep. 34, 3) et Demetrius „quae gentium oculos regumque praestringunt“ contemnit (Sen. de ben. VII, 9, 1), quia novit regnum sapientiae (ib. 10, 6). Haec est illa *βασιλεία τοῦ κυνικοῦ* (Epict. III, 22, 79; cf. ep. Ap. Tyan. 117), in qua non de vectigalibus agitur, sed *περὶ ἐλευθερίας, εὐδαιμονίας* (Ep. l. c. 84), et in ea Cynicus rex est (Ep. ib. 49; cf. Diog. ep. 39, 4): non politice (Ep. ib. 75), nam *σιωπῶν βασιλεύει* (Diog. ep. 39,). Est profecto quaedam civitas dei similis eius quam Christiani finxerunt; nam sicuti Christianus vivit *ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ*, ita Cynicus *μετέχει τῆς ἀρχῆς τοῦ Διός* (Ep. ib. 95). Utraque in animo nititur, haec in virtute, illa in religione (Paul. ad Gal. III, 28) et eo tantum differunt, quod Christiana civitas dei non a sapiente sed a deo regnatur neque sapientes continet sed eos qui aerumnosi sunt et pauperes spiritu (Matth. V, 3)[1]).

---

[1]) Etiam hinc quam arte Christianorum disciplina, qualis a Graecis veluti Paulo constituta est, cohaereat cum eis quae tum inter omnes homines eruditos circumferebantur in aprico est. De singulis rationibus inter Cynicos et Christianos intercedentibus cf. Wilamowitz, Philol. Unters IV 313 sq.; Norden Jahrb. suppl. 19 (1893) 393 sq. Hoc loco non licet illas conjecturas diutius perscrutari. Sed aliqua cum probabilitate suspicamur ecclesiae Christianae institutum, cui et ipsi omnia genera politica semper invisa fuerunt, iam antea excogitatum esse.

In hoc igitur regno Cynicus recentior vivit idque solum agnoscit et comprobat. In quo cum ipse rex sit, Caesaribus maledicit. Idcirco Epict. III, 21, 19 sensu posteriore Diogeni tribuit *τὴν βασιλικὴν καὶ ἐπιπληκτικὴν χώραν.* Est enim *ἀβασίλευτος* (Diog. ep. 23); docet *καταφρονεῖν τῶν βασιλέων* similiter ac Stoicorum multi, qui Cynismo sese applicabant (Epict. I 29, 9; cf. IV 7, 33) celebrantes generosum contemptoremque omnis potentiae spiritum (Sen. ep. 24, 8) et existimati contumaces et refractarii, contemptores regum et magistratuum (Sen. ep. 73, 1; cf. de clem. II, 5, 2). Sic et Dandamis Alexandrum *οὐκ ἐτίμησεν ὡς βασιλέα* (Ps. call. III, 6, 7) et de Demetrio Suet. Vesp. 13 haec tradidit: Demetrium Cynicum in itinere obvium sibi post damnationem ac neque assurgere neque salutare se dignantem oblatrantem nescio quid satis habuit canem appellare. Sane nostro iure sinceritatem talium morum et consuetudinum illis abjudicabimus. Recte scriptor Diog. ep. IV contendit eas nihil aliud esse nisi *φιλοδοξίαν* (cf. Eur. ep. I 1 *ἐπίδειξιν . . καὶ πρόσχημα μᾶλλον εἰς τοὺς πολλούς*). Et quidem magni momenti est, quod Diogeni talis epistula tribui poterat, qua Antipatro scriberet se venire *οὐ δι᾽ ὑπεροψίαν, ἀλλ᾽ οὐδὲ διὰ φιλοδοξίαν δι᾽ ἣν ταχ᾽ ἴσως ἕτεροι ἂν ἐποίησαν* (veluti Cynici recentiores) *ἵνα τινὲς τοῖς πολλοῖς μεγάλοι δόξωσι βασιλεῦσι δυνάμενοι ἀντιλέγειν.* Nam inde apparet non omnes Cynicos memoriam genuini Diogenis perdidisse. Accedit quod et sub Diogenis nomine eae epistulae feruntur, quibus non castigatur, sed docetur (cf. 14 et 15), quibuscum conferas eam quam Zeno Antigono scripsisse dicitur (D. L. VII, 8) et in plerisque quas Laertius de eo tradidit narrationibus Diogenes eam speciem prae se fert, ut ioco atque ingenio propensior sit quam atrocitati et conviciis sane saepe stolidissimis, quibus recentior ut ita dicam Diogenis imago utitur, qui homines oblatrat *πίθηκοι, κακαὶ κεφαλαί* (ep. 28), qui epistulam suam incipit *ἐμεμψάμην* (40, 1). Sed ut Homerus deos ex humana sua indole humanos formavit, sic Cynici posteriores magistrum suum ea specie subornabant, quam ipsi exhibebant, ita ut cum hi regum contemptores essent, idem fieret Diogenes.

Quae cum ita sint, non dubium est, quin illae omnis potentiae offensiones quadrent ad Cynicos recentiores. Neque desunt huius opinionis argumenta. Eis enim illa *ἰαμβικὴ ἰδέα* optime convenit, siquidem potissimum Cynici satiras scripserunt, quibus hominum stultitiae castigantur. Adde, quod Cynicorum posteriorum nonnulli Epicureis sese applicabant, veluti Teles, quem non Stoicis sed Cynicis assignandum esse Wilamowitz ostendit Philol. Unters. IV, 298 sq., nec non Bio Borysthenes Aristippi philosophiae aliquid concedebant (Hense praef. ed. Tel. XXXIV sq.). Iam Philod. de rhet. (vol. Herc. IV col. 14) fatetur *οὐδὲ χρησίμην ἡγώμεθα τὴν πολιτικὴν δύναμιν οὔτ᾽ αὐτοῖς τοῖς κεκτημένοις οὔτε ταῖς πόλεσιν* et ipse Epicurus docet *οὐδὲ πολιτεύσεσθαι τὸν νοῦν ἔχοντα* (fr. 525 Us.), sed *λαθεῖν βιώσαντα* (fr. 551 sq.) neque sapientem regna desiderare (fr. 552), quoniam *ἀρχαὶ στρατηγίαι* sunt *κενοὶ κόμποι* (ib.) et *τὸ βασιλεύειν ἁμαρτία καὶ διάπτωσις* (fr. 556). Constat enim Epicureos omnia genera politica in universum rejecisse (Zeller III, 1[3], 451 sq.; Kaerst 78/9). Itaque etiam ex hoc fonte in Cynicam philosophiam manavit indoles illa atque animus, quem Seneca enuntiavit refractarium et contumacem, contemptorem regum et magistratuum, qui sane ab Antisthene nec minus Diogene multum distat. Itaque si his causis eas adjunxeris, quas antea ex historia Cynismi repetivimus, facere non poteris, quin nostram thesin probes.

Quae cum ita sint, manifestum est Cynicorum recentiorum scripta non ubique adminicula praebere ad veterum Cynicorum sententias perspiciendas. Certe genuina Diogenis philosophia ex epistulis, quae sub eius nomine feruntur, nequaquam potest restitui, cum eas Caesarum demum aetate conscriptas esse Capelle evicerit et quidem ab eis, qui de Diogenis persona nihil compertum haberent (Capelle 57).

Iam quaeritur, quid de Dione iudicandum sit. Patet eum ad certos scriptores spectare qui cum et ipsi Alexandri et Diogenis congressum describerent, illum tamen laudabant neque sicuti Dio perstringebant (§ 1). Immo Alexandrum ut principem *φιλομαθῆ* et qui a Diogene minime inlatratus sit, ab

eis propositum esse non abhorret a verisimilitudine[1]). Iam Dio aperte sese in eos convertit id agens, ut Alexandri res quam maxime detrectaret, efferret Diogenem. Exspectamus igitur contrariam rationem, sc. eam quam Cynici recentiores secuti sunt. Ac primum quidem id fundamentum, quo vetus fabula nisa est, Dionis orationi non subversatur. Nam *περὶ εὐδαιμονίας* tantummodo in exordio disseritur, quo monstratur, quanto beatius Diogenes in summa paupertate vitam degerit quam Alexander in summa potentia (§ 8 sq.). Sed haec pauperis et divitis hominis oppositiō, quam Dio idcirco non praetermisit, quod in moribus Diogenis describendis sollemnis erat, ipsius orationis materiam non facit. Nam in ea philosophus et rex inter se comparantur neque agitur de beatitudine, sed de vero regno. Verum autem regnum id est, in quo philosophus dominatur. Alexandro quidem non praecepta dantur, quae ad hominum salutis curam spectant, sed iubetur peram suscipere (70) i. e. Cynicus fieri philosophus. Itaque desunt ea officia, quae rex politicus praestare debet, quoniam is ipse non respicitur. Hinc profluunt acerbissima illa Diogenis convicia (§ 51: *ἐκόλαζεν αὐτὸν πάντα τρόπον*) totaque morum Alexandri descriptio, de qua supra disseruimus. Sane prorsus eam speciem prae se fert, qua in Diogenis epistulis subornatur (Hoffmann 76). Quas cum aetate recentiore conscriptas esse constet, in aprico est Dionem Diogenis quoque imaginem depinxisse ex consuetudine Cynicorum posteriorum. Quod etiam inde patet, quod apud Dionem eadem vocis *βασιλεύς* interpretatio occurrit atque apud illos (*ἐν βασιλικῷ τύφῳ* 6); quod non paucae similitudines inter or. IV et VI intercedunt (E. Weber 95), quam sicuti omnes orationes *Διογένης* inscriptas ad fontes Diogene multo recentiores revocandas esse Hahn ostendit; quod oratio „sophisticum quendam tumorem“ prodit, unde iam Duemmler (Kl. Schr. I 76, 1) Dionem ad fontes deteriores recessisse suo iure conclusit. Iam cum Hoffmann

[1]) Huc quadrant verba *τυχὸν δέ τι καὶ ὠφεληθήσεσθαι νομίζων ἀπὸ τῆς συνουσίας τἀνδρός* § 11.

77 sq. recte exposuerit Dionem invectivam suam magna ex parte mitigavisse propterea, quod Trajanus Alexandrum summo studio atque aemulatione amplectebatur, facile cogitari potest, quanta acerbitate Cynici, ubi libere ac solute disserere licebat, usi sint.

Quae cum ita sint, non dubium est, quin Dionis or. IV quam Cynicam esse inter omnes constat, ex fontibus vetustioribus non profluxerit. Nam Diogenes contemptor non solum tyrannorum sed omnium regum et magistratuum revera non erat; haec species postea ad eum translata est aetate cum hellenistica tum romana, qua Demetrii et Peregrini florebant. Iam cum Dio multa exhibeat, quae Cynicis vetustioribus conveniunt, id aut inde explicari debet, quod Cynici recentiores ipsi ea ab illis exceperunt, aut sic ut Dio veteres cum novis sententiis commiscuerit. Illud per se perspicuum est; hoc licet denique exemplo confirmare. Patet § 24 sq. ex conexu totius orationis excidere. Nam cum alibi vehementissima convicia in Alexandrum effundantur, in illis paragraphis magis docetur quam castigatur. Hic genuinus locus *περὶ παιδείας* perspicitur; Alexander certior fit, quis revera artem regiam calleat undeque eius scientia parari possit. Itaque in hac parte regale genus politicum agnoscitur. Accedit quod Dio § 24 tam abrupte ad § 23 annexit, et § 44 ad novam Alexandri invectivam tam artificiose transgreditur, ut vel hinc manifestum sit eum certum fontem orationi suae inseruisse. Agitur autem de rege Homerico (*τοῦτο δὲ οὐκ ἐγὼ λέγω νῦν, ἀλλ' Ὅμηρος ἐμοῦ πρότερος* 39); sane § 26 sq. spectant ad locum *διοτρεφής*, cuius vestigia cum etiam in I 37 sq. perspecta sint, patet de IV 26 sq. idem iudicandum esse atque de I 37 sq.: sc. uterque locus recedit ad scripta Homerica. Sed ut in I 37 sq. Stoicorum sic in IV 24 sq. veterum Cynicorum vestigia dilucida sunt in eo, quod arta quaedam ratio inter artem regiam et nomen *βασιλεύς* statuitur (24 5); quod sophistae improbantur; quod de educatione et quidem similiter atque ab Antisthene inquiritur (E. Weber 238 sq.; 243); quod ad Herculem provocatur (31); quod § 37 alluditur ad Homericum quendam locum in

Antisthenis rhetorica tractatum de Ulixis *πολυτροπία* (E. Weber 227 sq.). Itaque Dio revera veteres et recentiores sententias inter se conjunxit. Neque vero poterat varias materias concinne apteque inter se accommodare, etsi diversitatem occultare studebat, veluti etiam in hac parte Alexandrum ut inscientem proponit (26; 39). Maximi autem momenti id est, quod ne hoc quidem loco expressis verbis de regno politico disserit, sed universalem quandam quaestionem, sc. de institutione aperit.

Conclusio.

Ex eis quae explicata sunt sequitur de Dionis orationibus *περὶ βασιλείας* idem statuendum esse atque quod viri docti novissimis temporibus de aliis quoque eius orationibus iudicaverunt. Nam primum quidem nobis apparuit Dionem omnia quae affert, repetivisse ex Cynicis et Stoicis, ita ut Ioelii de Dionis eclecticismo quem denegat opinio certe quadret ad orationes *περὶ βασιλείας*. Deinde quoniam antea commemoravimus Dionem nuper a compluribus revocatum esse ad fontes recentiores, id quoque comprobandum erat non solum propterea, quod omnino Stoicos expilavit, sed etiam quod Cynicorum posteriorum vestigia aperta sunt. Certe Antistheni multa conveniunt, ita tamen, ut cum Stoici et Cynici recentiores ab Antisthene pendeant, eum ipsum a Dione exscriptum esse minime verisimile sit. Certa enim exempla ex quibus eum usurpatum esse concludi posset, tantummodo in or. III et IV investigata sunt.

Huic observationi quae fortasse multis a verisimilitudine abhorrere videtur, quoniam Dionem fontes vetustiores adiisse inter omnes constat, non desunt fundamenta. Sane Dionem veteres scriptores imitatum esse ne nos quidem negamus, sed aliter explicamus. Persuasum enim habemus dicendi generis et ipsarum sententiarum imitationes accurate inter se discernendas esse ita, ut cum iam a veteribus Platonis, Demo-

sthenis, Xenophontis vestigia in Dione detecta sint (Philostr. vit. soph. 7, 1 sq.) et Dio ipse catalogum scriptorum imitandorum, qui certe non solum ex Cynicis aut Stoicis proferuntur, in or. XVIII proposuerit, hoc spectet ad stilum, non ad sententias. Quod discrimen adhuc cum ab aliis tum a Wegehauptio neglectum nisi statueris, non intellegitur, quomodo factum sit, ut Dio sententias non pluribus auctoribus deberet. Neque vero desunt exempla. Notum enim est Valerium Flaccum dicendi genus repetivisse ex Vergilio, sententias ex Apollonio et Dionem ipsum in or. XII sententias prompsisse ex Stoicis, colores ex Platone Binder 71 ostendit. Itaque Dionem fontibus recentioribus usum esse etiam his de causis expeditur, quibus denique adjungas, quod multa Platonica et Xenophontea excipere poterat a Stoicis, quoniam Panaetius et Platonem (Schmekel 8) et Xenophontem (Dyroff 345) in deliciis habebat neque iam obscurum est, quam saepe Xenophon a Stoicis usurpatus sit (Lincke l. c.)

Qua denique ratione Dio fontibus suis usus sit si quis quaerit, primum quidem manifestum est eum pleraque certis fontibus debere neque ullo loco maiorem sententiarum partem de suo addidisse. Illos autem ita in suum usum convertit, ut eos arte secutus simpliciter inter se conecteret. Inde fieri poterat, ut huius dissertationis compositio ea esset, quam ante oculos habes: tam facile singulae partes ex totius orationis conexu solvi possunt. Veluti in or. I aperte quattuor partes inter se distinguuntur (Arnim 330), quae leviter altera alteri asseruntur, similiterque in ceteris orationibus variorum fontium vestigia apertis terminis discernebantur [1]). Itaque Dio in fontibus usurpandis non eam libertatem atque licentiam adhibuit, ut propria immisceret, sed ut varios fontes conjungeret suoque arbitrio eligeret. Huc spectat ratio illa apud sophistas celeberrima *τοῦ πλανᾶσθαι ἐν τοῖς λόγοις* (Schmid, Attizismus I 190; Arnim 439), cuius exempla luculenta in tertiae orationis

[1]) Etiam hinc manifestum est Dionem non ex collectaneis quae sibi paraverat hausisse, quod iam Joel II 1, 391 sq. refutavit.

exordio et altera parte exstant; nam illic in narrationem Antisthenεam inculcavit Trajani laudationem et locum *περὶ κολακείας*[1]), et hic in regis morum descriptionem inseruit universalem quendam de amicitia tractatum[2]). Hoc modo orationibus magnam varietatem intulit, quae tamen revera fontibus, non ipsi tribuenda est.

Iam Dionis auctoritatem, cum in ipsis sententiis non perspiciatur, niti in arte proponendi consentaneum est, id quod in or. I et II (cum orationum III et IV primarias formas in manibus non teneamus) facile cognoscas. Hinc autem si quis spectaverit, iustum atque rectum de Dione proferet iudicium, qui sane magis rhetor erat quam philosophus.

---

[1]) De compositione exordii Fischer 6 sq. probabiliter egit.

[2]) Ex tota hac de amicitia explanatione, de qua Fischer 13 sq. accurate disseruit, novae cognitiones quae ad fontes pertinent percipi non possunt. Nam primum quidem est pars descriptionis regis morum (cf. I 28 sq.), cuius fontes antea indagati sunt; deinde loci a Dione tractati ex Theophrasti (*περὶ φιλίας*) temporibus tam usitati erant, ut cum ne Cynici quidem aut Stoici eos praetermiserint, ad certos fontes provocare non liceat. Nam quam usitati fuerint docet Bohnenblust (diss. Bern. 1903), qui multas similitudines inter Dionem et Ciceronem (Lael.) intercedere perspexit, ut cum Cicero ut in libris de off. sic in Laelio ad Stoicos recedat, verisimile sit Dionem ex iisdem fontibus hausisse. — § 94 sq. neque ad regis morum descriptionis formam (cf. 94 *οἶμαι* 96 *εἶπον* 102 *νενόμικα*) neque ad regem ipsum sed ad sapientem quadrant (108 *ὁ ἀγαθὸς = καλὸς = σπουδαῖος* Stob. ecl. II, 7, 11 g = 93 W.); cum reges et tyranni tantummodo illustrandi causa afferantur, § 103 recte secluditur. § 111 Dio relabitur ad descriptionem, cuius initium factum erat § 86.

Index rerum memorabilium.

Tabula argumenti.

VITA.

Natus sum Ernst Johannes Thomas in oppido Waldenburg a. d. III cal. Sext. 1885 Pater evangelici sacerdotis munere fungitur, mater mortua est. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum primordiis instructus gymnasium Schneebergense frequentavi. Vere a. 1904 maturitatis testimonium assecutus Gryphiae, deinde Lipsiae litteris philologicis et germanicis operam navavi. Docuerunt me viri illustrissimi Bethe, Brugmann, Gardthausen, R. Heinze, Gercke, Immisch, Jungmann, Köster, Kroll, Lipsius, Marx, Mogk, Radermacher, Reifferscheid, Schreiber, Sievers, Studniczka, Volkelt, Wilcken, Witkowski, Wundt. Seminarii philologi fui sodalis ordinarius per duo semestria moderantibus Betheo Heinzio Lipsio. In proseminaria philologa me exceperunt Immisch et Kroll, in proseminaria germanica Köster et Sievers, in exercitationes archaeologas Studniczka et Schreiber, in seminarium paedagogicum Jungmann. Studiorum meorum fautores benevolentissimi erant cum Bethe et Immisch tum R. Heinze.

Typis Reinholdi Berger, Luckaensis.